

424

LATVIJAS
UNIVERSITATES RAKSTI
ACTA UNIVERSITATIS LATVIENSIS

ROMAS KATOĻU TEOLOGIJAS
FAKULTATES SERIJA

I SĒJUMS
TOMUS

Nº 1

LATVIJAS UNIVERSITATE

R I G A, 1 9 3 9

P. L. U.
M. H. G.

8

643-1-88

L A T V I J A S U N I V E R S I T A T E S R A K S T I
ACTA UNIVERSITATIS LATVIENSIS

R O M A S K A T O L U T E O L O G I J A S F A K U L T A T E S S E R I J A I . 1.

Duae relationes episcoporum Chr. Szembek (1715a.) et J. D. Puzynae (1749a.) ad sanctam sedem de statu ecclesiae Livoniensis et Piltinensis factae.

Prof. *J. Rancans*,

Episcopus tit. Marcopolitanus.

Index rerum.

I. Introductio seu brevis explicatio historica de duabus relationibus Episcoporum Chr. Szembek et J. D. Puzyna.	
II. Relatio episcopi Christophori Szembek a. 1715.	
1) Historica dioecesis Livoniensis et Piltinensis descriptio	7
2) Status modernus diaecesis Livoniae	13
3) Livonia Suetica	15
4) Livonia Polonica	17
5) De episcopatu Curoniensi seu Piltinensi	17
6) De ducatu Curlandiae et Semigalliae	18
7) Livonia mere Polonica	21
III. Relatio episcopi J. D. Puzyna a. 1749.	
1) Titulus et brevis historia dioecesis Livoniae et Piltinensis	29
2) Status modernus dioecesis Livoniae	36
3) Livonia Suetica	38
4) Livonia Polonica et mere Polonica	40
5) De episcopatu Piltinensi	44
Divas biskapu (Chr. Šembeka 1715. g. un J. D. Puzinas 1749. g. 1) relacijas	
Sv. Krēslam par Livonijas un Piltenes baznīcas stāvokli. (Brevis recapitulatio in lingua lettonica)	48c
Izlietātie avoti. Literatura	48f

Documenta historica de sorte ecclesiae catholicae in finibus Latviae adhuc dispersa sunt in variis archiviis tum localibus tum in regionibus exteris finitimis et longinquis.

Facultas theologiae catholicae Universitatis Latviensis a. 1938 fundata habet scopum scientias excolore et promovere praesertim eas, quae patriam nostram Latviam respiciunt. Quam ob rem in actibus Universitatis Latviensis professores huius athaenei suos labores scientificos firma voluntate quotannis pro posse promulgare et in lucem edere statuerunt et curabunt.

I.

Ad hunc finem inserviet etiam haec editio duarum relationum de prima parte saeculi XVIII de statu ecclesiarum et vitae religiosae in dioecesi Livoniensi et Piltinensi. Relationes episcoporum Chr. Szembek et J. Puzyne ad S. Sedem in apographis in archivo Jelgaviensi seu Mitaviensi usque ad hodiernam diem feliciter conservatae sunt. Exemplaria authentica relationum in archivis Vaticanis inveniri deberent, — quamvis adhuc in lucem non apparuerunt. Haec testimonia historica magni momenti sunt pro vitae populi nostri cognitione atque eius religiosa evolutione. Illis documentis iam usus est celeberrimus scriptor rerum praeteritarum Livoniae Gustavus Manteuffel.

Quoad relationem episcopi Christophori Szembek notandum est quod sequitur. Ipsum documentum viginti octo paginis in folio constat, — charta antiqua fere flavi coloris esse apparent. Ipse auctor loquitur in prima persona singularis numeri et certa manu scripsisse videtur unde deducere possumus hoc exemplar vel ab ipso episcopo Chr. Szembek vel ab eius secretario amanuensi conscriptum fuisse. Totum documentum valde bene conservatum est, characteribus claris et sat magnis exaratum est et facillime quidem legitur.

Alterum documentum episcopi J. D. Puzyne exaratum etiam de statu religionis R.-Catholicae episcopatus Livoniae et Piltinensis. Documentum continet viginti octo paginas in folio, chartae antiquae etiam coloris subflavi, ultimae tres paginae non descriptae derelictae sunt. Modus scribendi variabilis est, nonnullis in locis correctiones aspiciuntur. Ratione argumenti et praesertim in prima parte historica quoad formam verbaliter concordat cum relatione episcopi Chr.

Szembek de a. 1715. Auctor huius relationis, uti apparet ex argumen-to et modo scribendi, est officialis Livoniensis et Piltinensis et rector ecclesiae Mitaviensis Rev. D. Ericus Ludovicus Lesveur successor Rev. D. Joachimi Gönner, qui ante ipsum eodem munere fungebatur plusquam per triginta annos, et quem auctor relationis per pulchris elogii verbis extollit dicens: „Cura et solicitudine p. d. antecessoris mei Joachimi Gönner viri zelozissimi creverunt gloria Dei et Ecclesiae“ (cf. pag. 54). Relatio scripta esse videtur de scitu ordinarii loci et probabiliter de mandato huius ordinarii nempe episcopi J. D. Puzynae.

Relatio subscripta est litteris initialibus magnis „E. L. J. L.“, quae significare videntur nomina et cognomen auctoris: Ericus Ludovicus J. Lesveur. Duo prima nomina citantur in libris metricis ecclesiae Mitaviensis — tertium nomen manet mihi ignotum.

Quoad vitam supra dictorum episcoporum quae sequuntur adnotanda esse censeo. Christophorus Antonius Szembek natus circa a. 1670, in palatinatu Krakoviensi, studiis theologicis vacabat Cracoviae et Romae, presbyter ordinatus a. 1692, anno vero Dni 1711 episcopus consecratus obtinuit sedem Livoniensem et Piltinensem. Defensor strenuus bonorum ecclesiae contra raptore possessionum episcopatus Piltinensis. Translatus ad aliam sedem episcopus Christophorus Szembek manet benefactor perpetuus dioecesos Livoniensis et Piltinensis. Pretio 45000 florenorum albertinorum episcopus Chr. Szembek emit bona Lehnas, Lices et Mugurkaula a. 1728 ab Ernesto Fromholdo Osten-Sacken et eadem bona in perpetuum episcopis Livoniensibus et Piltinensibus anno 1734 donavit sub conditione ut ipsi episcopi in illis bonis residerent, si redditus de illis bonis percipere vellent (cf. J. Ozoliņš — Iz Lehnu baznīcas arkiva, Auseklis, 1924. g., 3. nr., 3.—5. lp.). Hic episcopus erat amator singularis laborum pastoralium et a coetaneis „anima sancta“ vocabatur.

Postea a. 1717 translatus ad episcopatum Poznaniensem, a. 1719 translatus ad episcopatum Kujavensem, et a. 1738 elevatus est ad archiepiscopatum Gnesnensem et mortuus est 1748 Lovicii, uti primas Poloniae.

Ipse typis promulgavit bullam papae Clementis XI contra iansenistas, et epistolam pastoralem sub titulo: „Monita pastoralia universo clero et populo dioecesis Kujavensis et Pomeraniae adversus eos, qui cognitiones de sagis sinistre instituunt“, a. 1727.

Pro nobis maximi momenti est relatio de statu ecclesiae Livoniensis et Piltinensis ad Summum Pontificem Papam Clementem XI.

Episcopus Livoniensis et Piltinensis Josephus Dominicus Puzyна (de Kozielsk) promotus ad episcopatum a. 1740 die 16 septembbris, — fuit antea canonicus capituli Vilnensis. Ardenter adlaborabat ad vitam religiosam promovendam in tota Livonia, praesertim saepe visitando oves sibi comissas et semper residendo in sua dioecesi. Saepius nempe manebat in bonis episcopalibus Lēnensisbus, ubi aedificavit a. 1750. per pulchram ecclesiam muratam, quae sub titulo SSmae Trinitatis et Sti Antonii consecrata erat a. 1756 ab episcopo Antonio Ostrowski, et ibidem supremum diem egit a. 1752 die 5 m. martii. Sub pavimento ecclesiae Lēnensis mortalia huius zelosi episcopi deposita sunt. Scripsit epistolam pastoralem ad clerum et sibi commissum populum fidelem, cuius exemplar invenitur Petropoli in bibliotheca publica et inscribitur: „Epistola pastoralis alias instructio seu monita paterna ad clerum et populum sibi commissum opera et studio Excellentissimi ac Reverendissimi domini d. Josephi Dominici comitis in Kozielsk Puzyна, Dei et Apostolicae Sedis gratia episcopi Livoniae et Piltinensis post felicem in dioecesim ingressum ac expeditam in ea visitationem, formata et in lucem data. Anno a descensu de coelis Pastoris Pastorum in utero Immaculatae Virginis carne amicti Verbi aeterni MDCCXLIV. Vilnae, typis S. R. M. academicis S. J.“^a)

In primo documento prius breviter describitur historia et facta Ecclesiae catholicae maedio aevo a saeculo XII usque ad XVII saeculum, quo tempore finitis bellis vita religiosa renovari et restaurari caepit. Specialis animadversio facta est episcopatu Piltinensi seu Curoniensi, cuius bona turbulentissimis temporibus in possessionem personarum civilium transierunt. Haec bona recuperare via processus iuridici episcopus N. Poplavski satagebat et ipse ep. Szembek.

Sequitur generalis delineatio dioecesis Livoniensis: longitudo dioecesis a finibus Prussiae usque ad Petropolim (150 millaria germanica) et latitudo 40 millaria germanica extenditur. Ecclesia cathedralis Duneburgi fixa est, seminarium deest, sacerdotes pro cura animarum maximis cum difficultatibus acquiri queunt.

^a Cf. Vinkelmann, E. Biblioteca Livoniae Historica.

Datur particularis explicatio de ecclesiis in Livonia Svetica, ubi fere nulli sacerdotes inveniuntur, sed sunt necessarii praesertim in civitatibus portoriis uti Riga, Revalia, Narva, et vicinis civitatibus Petropoli et Archangelsk.

Livonia polonica habet tres provincias: episcopatum Curonensem seu Piltinensem, Ducatum Curlandiae et Semigalliae et Livoniam tunc mere polonicam dictam, quae nunc Latgalia nuncupatur. In districtu Piltinensi nulla ecclesia catholica exstat. In ducatu Curlandiae et Semigalliae sequentes ecclesiae describuntur: Mitaviensis, Goldingensis, Alszvangensis, Felixbergensis, Laukesana, Iluxtana, Szönbergensis, Subatensis, Bauskensis, et duo templo ritus orientalis Iluxtae et Jakobsstadt. In Livonia mere polonica sequentes ecclesiae in relatione recensentur: 1. Dinaburgensis, 2. Lucinensis, 3. Rositensis, 4. Līvenmuisensis, 5. Ossunensis, 6. Marienhausensis, 7. Indricensis, 8. Kraslavensis, 9. Dagdensis, 10. Feymanensis, 11. Russonenensis, 12. Prelensis, 13. Aulmuysensis, 14. Usvaldensis, 15. Kovnatenensis, 16. Duneburgensis S. J., 17. Possini P. O. et 18. Vyszkoviae seu Jaglonae.

In secundo documento describitur status religionis R.-catholicae episcopatus Livoniae, Semigalliae et Curoniae sive Piltinensis anno 1749.

In prima parte historica in memoriam revocantur fata ecclesiae catholicae in Livonia in medio aevo et delineata est tristis conditio episcopatus Piltinensis simul cum litibus de bonis episcopalibus cum variis possessoribus iniuste eadem occupantibus.

Sequitur brevis delineatio status moderni diocesis Livoniensis, et quidem in Livonia svetica nulla ecclesia invenitur, in Curlandia (Curonia et Semigalia) vero tales ecclesiae nominantur: 1. Alszvangensis cum filiali Felixbergae, 2. Goldingensis, 3. Mitaviensis, 4. Laukesana, 5. Lēnensis, 6. Libaviensis, 7. Altenburgensis cum filiali eccl. Illmaiensi et Hasenpothensi, 8. Beersensis, 9. Lamingensis, 10. Ellerensis, 11. Iluxtana, 12. Szönbergensis, 13. Subatensis, 14. Bauskensis et 15. Ozolmuižensis. Et duo templo ritus byzantino-slavi in Illuxta et Jakobstadt.

In Livonia mere polonica (seu Latgalia) ecclesiae, quae sequuntur, notatu dignae sunt: 1. Dineburgensis cathedralis, 2. Lucinensis, 3. Rosittensis, 4. Līvenmuizensis, 5. Ossunensis, 6. Marienhausensis, 7. Russonenensis, 8. Feymanensis, 9. Indricensis, 10. Kraslavensis, 11. Dagdensis, 12. Prelensis, 13. Aulmuysensis, 14. Uzvaldensis,

15. Kownatensis, 16. Dineburgensis S. Jesu, 17. Possini O. P. et Vyszkowiae sive Jaglonae.

Primam relationem episcopus Chr. Szembek immediate ad Summum Pontificem Clementem XI dirigit per ablegatum suum Rev. Dominum Joannem Vincenti presbyterum. Praeter hanc relationem ad Summum Pontificem in instituto Ossolinensi - Leopoli invenitur apographus similis quoad argumentum, sed notabiliter brevior relatio, quae anno 1713. die 19 martii porrecta erat Nuntio apostolico in Polonia cardinali Odescalchi, sed haec brevis relatio subscripta est a Rev. D. Joachimo Gönner, vicario generali episcopi Szembek et parocho Jelgaviensi. Secunda relatio asservata in archivio Jelgaviensi dirigitur ad Nuntium apostolicum in Polonia, qui tunc temporis erat Albericus Archinto, et hanc relationem sine dubio recepit.

Cum in his duabus relationibus saepius agitur de bonis episcopalibus Piltinensibus aliquot saltem verba de illis dicantur oportet. Ex documento repartitionis bonorum Piltinensium a. 1700 die 15 decembris summa omnium mansorum in universis bonis et districtibus haec notatura^a:

1. Districtus Sakenhausensis	29	mansos
2. Districtus Hasenpothensis	135 ^{1/12}	"
3. Districtus Neuhausensis	142 ^{1/2}	"
4. Districtus Piltinensis	90	"
5. Capitaneatus Piltinensis	20	"
6. Universa bona Edvahlensia	25	"
7. Dondagensia et Ochsensia bona	35	"
8. Districtus Ervahlensis	77 ^{1/2}	"
9. Districtus Ambotensis	217 ^{1/2}	"

Mansus seu uncus polonicus quoad spatium continebat agrum 180 modiis seminandum.

Processus vero iuridicus cum usurpatoribus bonorum episcopaliuum Piltinensium durans per longos annos nullum habuit effectum. Nam omnes conatus succedentium episcoporum Livoniensium de recuperatione bonorum defavorabiles vicissitudines temporum ad nihilum redegerunt.

a Cf. „Ossolineum“ noraksti Latvijas valsts archivā, 152, Nr. 130, pag. 449—451.

II.

**RELATIO EPISCOPI CHRISTOPHORI SZEMBEK DE STATU
DIOECESIS LIVONIENSIS ET PILTINENSIS A. D. 1715 FACTA.**

Sanctissime ac Beatissime Pater Domine Domine Clementissime.

(Relatio historica de statu Diaecesis Livoniensis facta anno Domini 1715. ab Episcopo Piltensi Christophoro Szembek — ad Summum Pontificem Clemensem XI Tunc temporis erat Imperator Rossiacus Petrus I seu Magnus¹.)

Non solum ex obligatione Iuramenti, qvod tempore Consecrationis meae ad Episcopatum Vendensem, et Piltinensem sive Livoniensem Anno Domini Milesimo septingentesimo undecimo in festo Nominis Beatissimae Mariae Virginis in Collegiata Loviciensi praestiti, volui visitare limina SS. Apostolorum et de statu Diaecesis meae Sanctitatem Vestram informare, sed etiam ex particulari desiderio videndi salutare meum, Patrem mihi gratiosissimum Sanctitatem Vestram, illiusque Pedes cum humillimo respectu et reverentia filiali exosculandi in documentum tam debitae subiectionis, qvam etiam perennis gratitudinis pro innumeris beneficijs a Iuventute mihi collatis. Sed qvia multis coarctor negotijs, ac continua premor laboribus pro Ecclesia Dei ac Republica, ideo desideria mea in aliud tempus differre debeo. Et interim per Ablegatum meum Adm Rndum Ioannem Vincenti Presbyterum reddere rationem villicationis meae non intermitto. Et ante omnia statum Diaecesis meae breviter expono.

Ab origine introductae Religionis Catholicae in Livoniam circa Annum Millesimum Centesimum Sexagesimum, una erat Diaecesis Livoniae, qvae successive qvatuor habuit per obitum sibi succedentes Episcopos.

Primus Episcopus Livoniae erat Meinhardus, qui ad huc Presbyter, zelo animarum ductus venit in hanc Provinciam per mare cum mercatoribus Bremensibus ad Evangelisandum Verbum Dei:

¹ Titulus in parentesi ab alio auctore adscriptus, nempe a sacerdote Daniele Rymkiewicz, a. 1870, qui munere praeceptoris religionis in scholis Jelgaviensibus fungebatur.

in arce Vxkul dicta, principalem fixerat residentiam, ubi devotiones cum catholicis facere consueverat, plurimos ad fidem convertit, Religionem Catholicam cum Dei auxilio plantavit, ac tandem multis decoratus meritis, Pontificia Tyara coronari meruit circa Annum Millesimum Centesimum Septuagesimum.

Secundus Bartholdus circa annum Dni Millesimum Centesimum nonagesimum Vir zelosissimus, qvi inter res paeclare gestas, etiam Rigam celeberrimam Urbem cum portu ad mare Balticum incepit aedificare.

Tertius Adalbertus² circa Annum Millesimum centesimum nonagesimum sextum Episcopus Livoniae creatus, Erectionem ejusdem civitatis et Portus Rigensis continuavit. Ut vero eo melius Paganis resistere, Religionemque ibidem felicissime plantatam tueri posset, ordinem Ensiferorum seu Militiae Christi instituit, cuius Thessera erant duo, rubei gladioli cum stella circa pectus decussatim pallio assuti. Sed non diu hic ordo duravit. Nam Gregorius nonus Pontifex maximus Viterbij secunda Maij Pontificatus sui anno nono eundem incorporavit Ordini Fratrum Hospitalis S-ae Mariae Theuthoniconum. Idem Adalbertus (Episcopus Livoniae Titulo Principis Romani Imperij ab Henrico) Romanorum Imperatore Anno Domini Mille-simo Ducentesimo vigesimo quarto, Calendis Decembris, Norembergae decoratus et amplissimis Privilegijs adinstar aliorum Principum Sacri Romani Imperij donatus est, ubi appellatur Episcopus Livoniae, *Lealiae, Lethlandiae, et aliarum ad littus maris Provinciarum*. Primus in Livonia pecuniam cudi fecit. Hoc originale Privelegium Imperatoris asservatur in Archivo Regni Poloniae, Copiam vero Germanico Idiomate Rigae Typis impressam in Libro intitulato *Theatridium Livonicum* unicuique videre licet.

Quartus Episcopus Nicolaus nomine circa annum Millesimum Ducentesimum Trigesimum eidem praefuit Diaecesi. Tandem crescente multitudine catholicorum Diaecesis Livoniae divisa fuit in plures Episcopatus videlicet Semigalliae (qvi brevi ab Innocentio quarto Lugduni Anno Pontificatus ejus octavo suppressus fuit) Revaliensem, Oseliensem, Curoniensem et Dorpatensem sub Archiepiscopatu Rigensi, cui et alij Episcopatus Prussiae, videlicet Varmiensis, Sambiensis, Pomeraniae et Culmensis suberant.

² Tertius episcopus Livoniensis erat Albertus, in relatione dicitur „Adalbertus“.

Taliter constitutus spiritualium in Livonia status duravit ultra tria saecula, non tamen sine perturbationibus varijs enim res Ecclesiastica agitabatur fluctibus, qvos non tam vicina exagitabant bella, qvam ambitio et persecutio Ordinis Theuthonici. Et si enim Superioritatem Episcoporum agnoscere debebat (qvod praeter alia documenta testatur concordia Alberti Archiepiscopi Rigenis et Henrici Curoniae Episcopi, cum eodem ordine militum Theutonicorum Anno Domini Millesimo Ducentesimo qvinquagesimo quarto inita, uti ex Archivo Regni sub Titulo *Litterae Ducatus Livoniae patet*) maioribus tamen, sensim milites huius ordinis aucti proventibus (qvorum non nisi tertia pars in Livonia et Lealia originaliter ipsis ab Episcopo Livoniae concessa erat) facile successu temporis Episcopis subesse Detrectarunt Rigensem etiam civitatem per vim Archiepiscopo receptam, qvamvis multis Decretis et censuris Sedis Apostolicae gravati restituere renuebant. In inferendis bellis Regno Poloniae, ac in perpetrandis caedibus indomiti, in varijsque scandalis incorrigibiles, graviter Pastores suos saepius afflixere usque ad tempus Martini Lutheri, qvo sicut populus, sic Sacerdos majori ex parte depravati, et haeresi sensim infecti, novam status induxerant formam. Auxerat Carolus quintus Imperator fastum Magistrorum Provincialium Livoniae ejusdem ordinis dum Anno Domini 1529. Schennigium Ordinis Magistrum Livoniae, Principem Romani Imperij fecit. Qvo novo titulo aucti antiquum honorem Principatus Romani Imperij et Superioritatis Episcopo Livoniae originaliter, postea Archiepiscopo Rigeni debitam, audacius contemnentes, per oppressionem spiritualium facile disciplinam Ecclesiasticam enervarunt, eoque Henricus de Galen et successive Firsztembergius Livoniae Magistri audaciae pervenerunt, ut Archiepiscopum Rigensem Vilhelnum captivum in arce Kokenhausensi includerent, et tam diu detinerent, donec illum Augustus Primus Rex Poloniae cum exercitu veniens, liberaret. Luit quidem, Firsztembergius sceleris sui poenas, qvas in vinculis Moschoviticis iusto Dei iudicio circa annum 1558. morte sua expiavit, sed tamen occasionem mutatae Religionis intam insigni Provincia non delevit. Sacerdotes multi oppressi, aliqui ab Haereticis perversi, Bona Ecclesiastica partim erepta sibi nullo fructu cum Archiepiscopo luxerunt, partim dilapidaverunt. Multis malo exemplo praeivit Ioannes a Moninhausen Episcopus Curoniensis et Oseliensis. Hic enim videns omnia fuisse confusa, in turbido pro Patrimonio Christi pecunias piscari voluit, Episcopatusque suos

Oseliensem et Curoniensem sive Piltinensem Anno Domini 1559. Friderico secundo Daniae Regi oppignoravit sive vendidit pro triginta Millibus talerorum.

Cum reliqvis, imo cum tota Livonia Gothardus Ketlerus successor Firsztembergij ultimus Magister ordinis Lutheranus factus, subiecit se Regi et Regno Poloniae, relicta sibi et successoribus Masculis Iure Feudi Curlandia et Semigallia A-o Dni 1561. Nullus tunc erat modus restabiliendae in ea Provincia rei catholicae ubi averni aestuabat impetus, qvouque post mortem Augusti primi non successisset Stephanus Bathoreus in Regnum Poloniae Ao Dni 1576. Vir zelosus et Religiosus. Hic Ao Dni 1583. fundavit Episcopatum Vendensem in Livonia, qvae nunc Svetica dicitur, non tamen in suppressionem priorum Episcopatum (nam illos tum temporis in sua potestate non omnes habuit, Revaliensis qvippe in manibus svecorum haeserat, Oseliensem autem et Curoniensem Episcopatus Regis Daniae Prater Dux Olsaciae nomine Magnus possidebat) sed ne residui catholici spiritualibus frauderentur obseqvijs in illa tam vasta Provincia Livoniensi, cuius titulum postea Episcopi Vendenses retinere videbantur, utendo titulo Episcopi Livoniensis. Qvod patet ex originalibus Literis ad Martinum Cromerum Episcopum Varmensem scriptis Ao Dni 1585. die 27. Novembris, in qvibus Episcopus se subscrispit, his formalibus *Episcopus Livoniae*, qvas apud me habeo.

Post obitum Magni Ducis Olsacie Fridericus Daniae Rex receperat Episcopatum Curoniensem, qvem illi prius dederat. Sed postea Stephano Regi Poloniae pretio aeris et sangvinis, id est post cruentum bellum et restitutam sibi summam Triginta Millium Talerorum reddere debuit, mediante Georgio Friderico Principe Marchione Brandenburgico, qvi eidem Regi Stephano in eum finem subministravit pecunias, et loco pignoris Episcopatum obtinuit, tenuitque ipsum per multos Annos cum sua uxore Sophia Ducissa Anspachiana. Haec Vidua derelicta Ius suum Hypothecae cessit Nobili Piltinensi Dno Meidelio cum consensu Regis Poloniae et Salvis Iuribus Ecclesiarum Catholiarum. Litigavit hac de re cum Meidelio Dux Curlandiae potiorem se ad eximendum Episcopatum asserens, sed cum ad Iudicium Regium devenisset negotium, post series partium controversias Vladislaus Rex Ao Dni 1644 pro Meidelio decretum tulit, Ducem Curlandiae ab omni praetensione abiudicavit, manifestationemque Praepositi Samogitiae nomine sui Episcopi, uti tum temporis administratoris Curoniensis Episcopatus in Iudicijs factam, ne qvid in praeiu-

dicium Iurium Ecclesiasticorum in Episcopatu Curoniensi fieret, ad acta ingrossari mandavit. Cujus exemplum secuti Reges Poloniae, nunquam voluerunt Ducibus Curlandiae in feudum concedere hunc Episcopatum, uti patet ex Investituris illorum. Interim dum sveci occupassent illam Livoniam, ubi Episcopatus Vendensis noviter erectus erat, et non nisi Episcopus Samogitiae per modum Administratoris, ab Urbano Octavo constitutus Curoniae et conseqventer Livoniae curam gereret, statutum est in Comitijs Generalibus Regni Poloniae Ao Dni 1677. ut qvemadmodum dignitates saeculares Palatinatum et Castellanatum in illa Provincia consistentes, ad unam dignitatem Palatinatus et Castellanatus Livoniae reducebantur, ita etiam Episcopus Generali Titulo Episcopi Livoniae cum consensu Sedis Apostolicae gauderet, prout ab origine introductae Religionis in illam Provinciam practicatum fuit, anteqvam in Archiepiscopatum Rigensem et alios Episcopatus fuisset divisa Diaecesis Livoniae. Creatus itaque Episcopus Livoniae Praedecessor meus Illmus Ioannes Poplawski ad nominationem serenissimi olim Ioannis Tertij Regis Poloniae Ao Dni 1683. illi datam, inchoavit processum pro recuperando Episcopatu Curoniensi, qvi ad illud tempus Iure Hypothecae et Salvis Iuribus Ecclesiae quasi de manu ad manum Hypothecarijs Varijs Possessoribus porrigebatur, veneratque tum temporis in possessionem Gnosae¹ Sibillae Meidelowae Viduae, tum et Ducis Curlandiae, qvi nullo Iure acquisiverat sibi aliquva ejusdem Episcopatus Piltinensis seu Curoniensis Bona, et postea per potentiam, Iurisdictionem super Nobilitatem acqvirere satagebat. Assignata tandem est Commissio et Commissarij designati ex Comitijs Generalibus Regni Ao Dni 1685. in ordine ad eximendum, hunc Episcopatum ad instantiam Episcopi, et Decretum fuit latum Anno Dni 1686. Piltini ab iisdem Commissarijs in favorem Iuris Episcopalis, ut videlicet Episcopus redditia si et cui deberetur, pecunia Triginta Millium Talerorum, reciperet Episcopatum seu Bona Episcopalia. Hocque Decretum pro sola approbatione ad Iudicia Relationum Serenissimi olim Ioannis remissum est. In termino itaque ex Remissione incidenti Serenissimus Rex Ioannes Tertius reiectis exceptionibus Partis adversae, contra validitatem actus Comissionis, *validoque eodem actu ad invento partibus procedere mandavit.*

In procedendo autem, cum Episcopus Iura sua Sufficientissime deduxisset, Serenissimus Rex durante Bello Turcico, in commoda publica (vae protunc a Rege Sveciae, pro lutheranis instantissime

perorante evenire potuissent) procul a Patria avertendo, hac in Causa deliberandum, censuit, cum publicatione Decreti in favorem Episcopi: sed hanc deliberationis resolutionem obitus ejus anticipavit. Tandem modernus Serenissimus Augustus Secundus instantे Illmo olim Theodoro Wolff Coadiutore Episcopatus Livoniensis in Consilio magno Varsaviae per publicam Constitutionem Ao Dni 1710. obligavit Se finitum brevi hanc Causam. His ego fundamentis innixus, cum post ascensum Coadiutoris praefati ad episcopatum Chelmensem, ipsius vero Episcopi Antecessoris mei ad Archiepiscopatum Leopoliensem promotus fuisse ad eundem Episcopatum Livoniensem, cum expressione Vendensis et Piltinensis Ecclesarium et Ao Dni 1711 in festo Nominis Beattissimae Mariae Virginis in septembri a moderno Archiepiscopo Gnesnensi Primate Regni et Magni Ducatus Lituaniae Primoque Principe in Ecclesia Collegiata Loviciensi consecratus reassumpsi continuationem processus ab antecessore meo inchoati, Citationesque ad audiendam ultimariam Sententiam, et expediendam deliberationem a Serenissimo olim Joanne hac in Causa præhabitam Gnoso Sakin uti Successori Meydeloviano in Hypothecam, tum etiam Duci Curlandiae, ac aliis iniustis Bonorum Episcopatus Possessoribus extradi et intimari curavi. Comparuerunt Citati per plenipotentes in Termino ex Citatione provenienti, qui erat Tertia Martii Ao Dni 1713, et dilationem ad munimenta petierunt. Sed Senatores et Ministri Status pro expedienda deliberatione Serenissimi Joannis et reddendis mihi Bonis Episcopatus iuxta Decretum Commissariorum a Republica Deputatorum Ao Dni 1686. latum vota dederunt, quae vigore Pactorum Conventorum de pluralitate votorum a Rege sequenda vim Decreti habere debet. Nihilominus Serenissimus Rex eandem deliberationem iterum prorogavit, publicationemque Sententiae definitivae sibi reservavit ad sequentem Mensem octobrem, sive ad aliud tempus sibi bene visum, etiam sine praevia adcitatione.

Functus sum postea Legatione ad Augustissimum modernum Romanorum Imperatorem per novemdecem menses Serenissimus etiam Rex in Saxoniam discesserat. Tandem cum rediisse ab Aula Viennensi insti apud Serenissimum pro expedienda deliberatione iam prius præhabita, et promulgationem Decreti, iuxta priora vota Senatorum petii hic Varsaviae habuique septima aprilis anni praesentis 1715. in Judiciis Relationum propriarum Regiarum, iterum omnium Senatorum vota, (: unico excepto Magni Thesaurii di-

lationem suadente :) mihi favorabilia. Serenissimus autem Rex obrutus instantiis Regum Daniae et Prussiae, iterum uti prius, deliberavit. Dedit tamen post aliquot dies Rescriptum ad Ducem Curlandiae et alios Possessores Bonorum, ut mecum componant de his Bonis intra sex menses a data Rescripti, declarando alias Decretum, secundum unanimia Senatorum vota iam data, se publicaturum sine ulteriori alia adcitatione. Terminus publicandi immediate Decreti incidere deberet, et incidisset, mediis diebus futuri mensis octobris, nisi Serenissimus Rex in Saxoniam discessisset, mihiique, ut ipsum sequor iniunxisset. Pro omni eventu, et ne ullam occasionem finiendi negotii intermittere videar, Plenipotentes hic Varsaviae in Metrica Regni inscriptos ad componendum negotium, si pars adversa id affectaverit inscriptos rilinquo, quodsi pars adversa non composuerit negotium, Decretum supradictum sine ulteriori adcitatione publicari debet. Quantum in hoc negotio agit Illustrissimus modernus Nuntius Sanctitatis Vestrae, quali zelo, cum quanto labore et applicatione impossibile est exprimere. Perpetua gratitudo non solum a me sed a successoribus meis illi debetur.

His intra Parenthesim insinuatis et praemissis redeundo ad essentialia Status Dioecesis meae, qualem inveni, et qualis nunc est, breviter defero.

Status modernus Diaecesis Livoniae.

Amplitudo Diaecesis Livoniae satis est magna; Longitudo enim illius a finibus Prussiae usque Peterburgum, centum qvinqvaginta Millaria Germanica attingit. Latitudo vero qvadraginta Millaria Germanica excedit. Lingva illic Principalis inter Nobiles et cives Germanica est, inter Plebeios vero Lothyanica, cum varijs mixturis Sveticogermanicae Lingvae. Ultra Narvam versus Peterburgum Moschovitica seu Illirica unica est, ubique tamen in Portorijs civitatibus Italica et Gallica a Nobilioribus catholicis freqvens invenitur, Polonica alicubi non rara. Lutheranorum ibi multitudo magna nimis, nec desunt calvinistae et schismatici. Catholici in servitijs dispersi pauperes, et satis rari in illa parte, Diaecesis, ubi Svetica Livonia dicitur, in Livonia vero mere Polonica omnes sunt catholici paucissimis exceptis Lutheranis.

Ecclesia Cathedralis ab antecessore meo Duneburgum translata pauperrima, vix Parochiali simplici comparanda, multo decore ab

intra, et magna restauratione ab extra indigens. Triginta Milliaribus a civitate Rigensi distat. Capitula Canonicorum rarissime fiunt, Residentia nunquam observatur, nihil etiam de proventibus auditur. Episcopus nullam habet Residentiam, nullum reclinatorium, nequidem tantum ubi caput reclinet, proventus nulos, expensas magnas computare potest. Sacerdotes enim ex diversis Partibus conducti, et conductis sustentatio quaerenda.

Seminarium modo primum fundare incipio ex aliquati legato Reverendissimi olim Wolff Coadiutoris Episcopatus Livoniae, quam augere promittit soror ejus Excellentissima Palatina Culmensis comissa Koss, sed tamen non statim fructus istius Seminarij sperari potest. Interim sacerdotes pauci, Parochiae paucissimae et si amplissimae Diaecesis aliorum locorum similes vel maiores quatuor quinque septem, decem, et aliquando duodecem et pluribus milliaribus Germanicis a se invicem distant, et non nisi ab uno sacerdote quaelibet administratur. Raro illic confitentur homines, aliqui septuagenarii nunc prima vice confessi sunt, et aliquot dierum itinere Sacerdotes quaerere vel ab illis inquiri solent. Messis multa operarii pauci.

In Livonia Svetica nullam Ecclesiam, nullum sacerdotem inveni. In Episcopatu etiam Piltinensi et in Curlandia, quae ad Polonam Livonię pertinet, et a Semigallia distinguitur, duas solum Ecclesias Alszvangensem et Guldingensem, illasque ruinosas, et Sacerdotibus totaliter vacuas reperi. Alszvangi olim erat viginti millia nunc vix duo millia catholicorum relicta, post Bella et pestem, qui pro baptismo et matrimonio ob defectum Parochorum ad Praedicantes lutheranos recurrere cogebantur. Sed iam per Dei gratiam, predictae Ecclesiae Sacerdotibus provisae sunt et restaurantur. In Semigallia Mittaviensem Dux Curlandiae post multas meas Solicitationes restaurat, sed adhuc in privato Cubiculo Divina peraguntur. In alijs locis et vel maxime in Livonia Polonica multae desolationes et magna paupertas compassionem movet. Facio quantum possum, sumptibus non parco. Sacerdotes aliquot saeculares per centum viginti millaria Germanica ex Ditionibus Imperatorijs et aliunde duxi et illos vestivi in variasque partes egregios et doctos viros misi.

Peterburgum etiam (ubi nunc est Principalis Residentia Czareae Moschorum Majestatis et multi inveniuntur catholici) secundum iam Patrem Societatis Jesu mense immediate praeterito ad peragendam curam animarum, et ad instituendas scholas misi meis

impensis, et ut in civitate Rigensi alij duo Patres resideant omnimodo euro. Revaliam et ad alia loca maritima mittendos diligenter, inqviro cum consilio Illustrissim Nuntij Viri zelosi et Apostolici, qui me zelo suo animat et sumptibus adiuvat, dedit pro necessitatibus illius Diaecesis. Centum Ungaricales, et praeterea nunc recenter pro fabrica Peterburgensis Ecclesiae alios centum in specie obtulit. Non possum oblivisci liberalitatis Eminentissimi Cardinalis Odeschalchi, qui sub tempus suae Nuntiaturae pro Missionibus centum Ungaricales officiali meo consignavit. Dnus etiam Auditor illius Carolus de Vannis decem proprios addidit. Pro clariori et magis distincta praemissorum in particulari informatione, sciendum, Livoniam dividi in Sveticam et Polonicam.

Livonia Svetica.

Livonia Svetica illa est, quam sveci a Polonis armis et dolis acceperunt. Nunc vero a Moschovitis possidetur sub Pacto eandem restituendi et applicandi Regno Poloniae.

In longum extenditur a territorio Rigensi inclusive ultra Narvam, per septuaginta Millaria Germanica. Si autem usque Peterburgum limites protraherentur, centum Millaria excederet in latum vero a civitate Revalensi usque Kokenhausum quadraginta millaria continet. In hac Provincia erant superius nominati Episcopatus Revaliensis, Oseliensis Dorpatensis et Archiepiscopatus Rigensis. Omnes antiquissimae fundationis et praeterea noviter fundatus Anno Domini 1583. a Stephano Bathorreo Rege Poloniae, iam sub tempus lutheranismi ibi grassantis, Episcopatus Vendensis de quo supra insinuavi. Tota haec provincia plena est lutheranis, catholici pauci, in varijs locis dispersi, Rigae tamen freqventiores inveniuntur, sed nulla est ibi domus catholicorum nullus sacerdos permanens, transeuntibus tamen nulla fit iniuria, nec impeditur liberum exercitium Religionis in domibus privatis, quas ultiro offerunt Lutherani mercatores, ut eo plures acquirant advenas Catholicos Mercatores ex Lithuania venientes: omni meliori modo proculo, ut illic permanentes sint Sacerdotes, vel maxime dum serenissimus Czarus Moschoviae omnem libertatem exercitii Religionis permittit. Patres Societatis Jesu haberent modos illic subsistendi, si vellent uti pijs Legatis collectis Mittaviae, dum ibi vices Parochiae obibant.

Peterburgum civitas est portoria, sub tempus moderni belli a

serenissimo Czaro Moschoviae de nova radice fundata, ubi ordinarie ipsem serenissimus Czarus residet, ab Illius nomine Petri ita dicta. Multi ibi catholici sunt vel maxime Italicae Nationis, qui Ecclesiam parvam in eadem civitate ligneam extruxerunt in modum Capellae, quam serenissimus Czarus visitavit, et argenteriam cum apparatu apud aliquem officialem inventam, donavit, et campana uti permisit, quod lutheranis est denegatum. Primus penes hanc Capellam Capellanus fuit Ordinis Sancti Benedicti nomine Wulgangus Heidinger Germanus ex Archidiaecesi Salisburgensi, qui prius Capellanum in quodam Regimine agebat. Hunc ego uti illimitatus in illis oris Episcopus, ad Confessiones approbaveram et eidem facultates Apostolicas communicaveram. Cum autem inde abscessisset, misi in ejus locum Patrem Zierowski Societatis Jesu ex Provincia Lithuaniae natione Silesitanum meis sumptibus, solisque meis Litteris passus et recommendationibus ad Ministros Moschoviticos munium; hoc praecauto, ut a me dependeat in omnibus. Multam ibi Messem invenit, multosque labores, non solum verbum Dei praedicare, pro Missionibus excurrere, sed etiam pueros docere et scholas instituere cogitur. Unde petijt subsidia Operariorum, vel maxime cum Multi ibi Magnates inveniantur, qui libenter darent filios suos illi ad instruendum. Hoc ipsum mihi asseruit his diebus Princeps Dolhoruki Legatus Moschoviae, svasitque ut pro illo loco viros egregios et conversativos, qui sciant se accomodare hominibus et pueros ad scholas allicere procurent assecurando, quod si pulchram Ecclesiam illic fabricaverimus summopere Czareanam Majestatem contentabimus. Misi itaque Patrem Engel Societatis Jesu, qui Regiomonto die Decima Augusti illucdiscedit, cum ad locum venerit, sustentationem a catholicis inveniet, qui duos se sustentaturos promiserunt. Italicum Concionatorem habere vellent, Mercatores Itali, Moderni autem Patres Polonice tantum et Germanice concionare possunt, alias vero lingvas non perfecte loqvuntur. Scripsi ad Patrem Generalem Societatis Jesu, ut mihi provideat aliquem suaे societatis ex Confinijs Italicis, qui Germanice Italice et Illirice sciat, sed ad hoc punctum non habeo Responsum. Ecclesiam ibidem Peterburgi ex muro solido fabricare cupio, modos et eleemosynas qvaero, et ut alios allicerem, parum de meo obtuli et Peterburgum misi. Primas Regni Archiepiscopus Gnesensis mille florenos dedit. Illustrissimus moderus Nuntius Sanctitatis Vestrae in Regno nostro centum Hungaricules (ut iam commemoravi) donavit et plura inter

pios viros procuraturum se promisit, pro innata pietate sua. Revalliam, qvi eat, neminem invenire possum, qvaero tamen aliquem ex altera Religione, Capucinos habere cuperem ex Confinijs Italiae et Sclavoniae utriusque huius linguae ac insimul Germanicae gnos. Portoria hoc est civitas, multi in ea debent esse catholici. Dolendum quod hucusque sacerdotes invenire non potuerim, et si sumptus obtulerim. Multa in Provincia ista et Dioecesi facienda essent, et usque ad portum Archangeli mittendus esset, aliquis Missionarius, ut illic sit praesto venientibus catholicis ad tam celebrem portum. Praeterea omnino opus foret, ut et in alijs civitatibus Principalioribus videlicet Narvae, Parnaviae, Derptae stabiles sint Missionarij. Hortatus sum Patres societatis, ut ex summis pecuniarijs, qvas ipsi se fatentur habere pro Collegio et Missionibus per Livoniam et Curlandiam fundandis et fovendis, partem aliquam impendant pro emendis domicilijs in praefatis Urbibus firmando ubique possessionem, qvando, aula Moschovitica Nobis et Religioni nostrae catholicae favere videtur, facilius enim nobis esset in pacis Tractatibus, qvos brevi speramus, iam possessa conservare, quam nova impetrare.

Livonia Polonica.

Livonia Polonica a mari, ubi Prussia terminatur et Curlandia incipit, usque ad Confinia Moschoviae, ultra Marienhausum per octuaginta milliaria Germanica in longum, in latum vero alicubi per viginti, alicubi per decem, alicubi etiam per sex milliaria extenditur. Continet in se Episcopatum Curoniensem sive Piltinensem, Ducatum Curlandiae et Semigalliae ac Livoniam Polonicam pure dictam.

De Episcopatu Curoniensi sive Piltinensi.

Episcopatus Curoniensis, qvem lutherani Districtum appellare contendunt, mari adiacet ex una parte, ex alia Ducatus Curlandiae finibus circumdatur. Nulla ibi Ecclesia Catholica, catholici tamen sunt pauperes non infreqventer dispersi. Pertinet iuxta Pacta Danica immediate ad Corpus Reipublicae Polonae, uti aliae Provinciae, qvem Dux Curlandiae Feudo suo Curlandico adiungere varijs contendit artibus. Unde non solum mihi, sed et Nobilitati Piltinensi particulares sunt cum ipso controversiae, praeter illum Processum,



qvem ratione Bonorum mensae Episcopalis ab illo iniuste usurparum proseqvor, de qvo supra commemoravi, utinam qvam citissime, illum finire possim.

Pro redimendis Bonis Mensae Episcopalis habeo facultatem Sanctitatis Vestrae contrahendi viginti septem millia scutorum Romanae monetae, nunc terminus instat Compositionis cum Duce Curlandiae et Nobilibus Piltinensibus Bonorum Episcopalium usurpatoribus, qvam illis serenissimus Rex ex sola clementia proposuit, sed fortassis evanescet. Illustrissimus Nuntius Sanctitatis Vestrae nullis parcendo laboribus agit hac in Parte non solum Ministrum apostolicum, sed et Advocatum meum zelosissime.

De Ducatu Curlandiae et Semigalliae.

Ducatus iste cuius longitudo, plusquam qvinqvaginta latitudo vero viginti, alicubi vero sex et pauciora millaria continet, vix non totaliter repletus est Incolis haeresi lutheranae addictis (paucis respective catholicis exceptis). Parochiales Ecclesiae in utroque Ducatu sunt qvatuor: Mittaviensis, Guldingensis, Alszvangensis, et Laukesana, ex qvibus tres priores extremam patiebantur ruinam, nunc restaurantur.

1. Mittaviensis in Metropolitana civitate (ubi Ducum Curlandiae principalis est Residentia) in Semigallia sita, Iurispatronatus Ducis Curlandiae, catholicos stabiliter numerat circiter trecentos, omnes fere ex infima plebe lingvae Lothvanicae, plurimi tamen catholici per Boreales has oras praesertim per Livoniam dictam sveticam et Semigalliam dispersi, a viginti et triginta Germanicis milliaribus illic Sacraenta petunt et accipiunt.

Fabrica Ecclesiae murata qvidem sed ruinosa, ita, ut iam per quartum annum vacet a Divinis officijs, qvae intra angustias Parochialis Domus celebrari debent. Iam est restauratio Illius inchoata, sed nondum perfecta, pluresque sumptus reqviruntur. Curlandiae Dux ad restorationem tam huius, qvam etiam Goldingensis Ecclesiae tenetur vi Conventionum et Submissionum Reipublicae datarum, sed valde negligenter opus agitur a Ministris Ipsius. Patres Societatis Jesu iam a qvadraginta et pluribus annis ad hanc Ecclesiam in concessso Ipsis dimidio fundo Parochiali, tanquam Missionarij Residentes, Sacraenta, imo et ipsam Ecclesiam pro absente plenumque Parocho administrabant, ac Iuventutem instruebant.

Ubi non exiguae paratas Summas ad promovendam in Provincijs Curlandiae et Livoniae Religionem catholicam ex piorum oblationibus collegerunt: nunc vero iam a tribus annis et scholas dereliquerunt, et Missionem ipsam in eo loco negligere caeperunt; cum tamen neutrum sine notabili detimento Rei Catholicae negligi possit, nec accommodatior in Ducatu Curlandiae et Semigalliae sit locus, ubi summas pecuniarias, qvas ibi satis notabiles a pijs catholicis vel maxime Rigensibus collegerunt, vel saltim partem earum pro incremento Divinae Gloriae melius impendere possint, qvam in hac Urbe.

2. Secunda Ecclesia Guldengensis Iurispatronatus ejusdem celissimi Dicis. Fabrica murata itidem ruinosa, a Mittaviensi distat qvindecim milliaribus Germanicis, cura animarum inde agitur, mare et Prussiam versus, per qvindecim milliaria Germanica. Ob catholicos hic inde dispersos, Parocho tam hujus, qvam etiam Mittaviensis Ecclesiae celsissimus Dux annuam pensionem sexcentorum florenorum Pruthenicorum pro sustentatione vi Pactorum obligatur subministrare, sed obligationi huic, iam per aliquot annos non est satisfactum. Unde modernos sacerdotes majori ex parte elemosyna sustentari hucusqve necesse est.

3. Tertia Ecclesia Alszungensis collationis Episcopalis itidem murata, sed fere absque tecto, muri scissuris pleni, ut prope a fundamentis indigeat restauratione. Misi anno praeterito aliquos sumptus pro restauratione Illius, et centum aureos Hungaricos ab Illustrissimo moderno Nuntio donatos illi loco pro restauratione applicavi. Unde iam notabiliter restaurata conspicitur.

Haeres Bonorum est catholicus insignis Nobilis Generosus Dnus Szweryn, sed ad eam paupertatem his bellorum turbis redactus, ut neque sibi, neque Ecclesiae, consulere possit, Bonis iam omnibus Iure Hypothecae in manus Haereticorum devolutis, solum sibi haereditarij Domini titulum adhuc reservat.

Subditi modo omnes sunt catholici, sed more Gentis Illius plerumque Dominorum suorum haereditariorum, sive fidem sive haeresim seqvi solent. Utinam aliquis catholicus inveniatur, ita Dives ut illa Bona redimat, multum lucraretur, fructificant enim plusquam sex procentum. Parochia haec habuit viginti millia catholicorum, nunc vix numerat circiter duo millia, sed omnes fere de Rustica et servitiis addicta plebe. Animarum Cura illinc agitur etiam per Episcopatus Piltensis fundos, ad qvindecim et plura milliaria protensos. Praedictae Ecclesiae Alszungensis fundatio olim pro duobus sa-

certodibus erat utcunque sufficiens, verum per hos annos et bellis et peste ita extenuata, ut unus sacerdos aegre subsistere possit nisi interdum supplementetur. Habet enim haec Ecclesia etiam filialem ligneam parvam tribus milliaribus dissitam, et ad littus maris Baltici sitam in Bonis ejusdem Domini Szweryn, Felixberga dictis in qua dum qualibet tertia septimana a Parocho peragitur devotio, vacat Ecclesia Alszungensis. Distat Haec Ecclesia Alszungensis a Mittaviensi, octo Decem Milliaribus Germanicis.

4. Qvarta Ecclesia Laukiesana fundationis praesertim Illmi olim Episcopi Coadiutoris Wolff, distat a Mittaviensi triginta Milliaribus, Duneburgum versus sita.

Fabrica Ecclesiae lignea nova, fundatio Parochi adhuc insufficiens. Promisa tamen a Collatoribus auctio cura animarum per aliquot millaria circa limites Lithuaniae illinc agitur frequentior ibi populus catholicus.

Harum omnium memoratarum Ecclesiarum curatoribus Germanicae, Polonicae, Lithvanicae et Lothavicae Lingvarum peritia summe necessaria unde cum maxima difficultate ad has omnes post pestem vacantes Ecclesias ex Prussia Sacerdotes his lingvis addiscendis aptos eduxi, qvas iam per gratiam Dei didicerunt.

Praeter has Ecclesias Parochiales habent etiam Patres Societatis Jesu Residentias duas cum cura animarum parochiali in Semigallia, prope ipsos Lithuaniae Limites sitas, videlicet Illuxtae et Szembergac, ob cuius posterioris stabilitatem Mittaviensem iam fere negligere caeperunt. Cum tamen Mittaviae ute pote in Metropoli Ducatus Curlandiae et Semigalliae longe magis proficui esse possent Ecclesiae Dei, qvam Schonbergae, qvae villa privata est et parva aliquot domorum, quando hanc Ecclesiam Schonbergensem visitavit antecessor meus Illmus olim Nicolaus Poplawski Episcopus Livoniae et Piltinensis qvarta Augusti 1689. invenit sex millia catholicorum pertinentium ad eandem Ecclesiam, qvae etiam habet filialem Ozolmuzensem parvam ligneam. Ultra has Residentias duas adhuc alias iidem Patres Societatis Jesu Missiones in Semigallia agunt Subate videlicet et Bausk prope limites Lithuaniae.

Dolendum qvod in Curlandia, in civitate portoria Lubaviensi ad littus maris derelictae fuerint similes Missiones, nec ullus ibi Sacerdos permaneat. Cum tamen extet recens memoria Capellae catholicorum, catholique non pauci ibidem inveniantur, nullum habentes spirituale adiutorium in illa vicinia. Conantur qvidem Libavienses

acatholici Missionibus his obsistere. Sed auxiliante Deo iam Parochus Goldingensis Sacerdos saecularis magno zelo, bis illas ibidem peregit, et licet prima vice anno praeterito, tertia die Missionum suarum vix non erat expulsus, interveniente tamen Illustrissimo et Excellentissimo Nuntio moderno Apostolico, munitus Regijs salvi conductis literis, securius rem Divinam peregit, nec pretio nec precibus convictus, nec minis exterritus, plusquam quinqvaginta homines communicavit. Egi sufficientissime oretenus cum Duce Curlandiae de his inopinatis impedimentis liberi exercitij Religionis. Nam hoc est verum quod Pater ejus Princeps Jacobus recognovit in scriptis praeeminentiam Religionis catholicae in illis partibus. Multa promissa emendationis pro Responso accepi, utinam sequatur effectus. Omnimodo procuro, ut ibi sit Sacerdos continuus pro cura animarum, sed modi sustentationis hucusque desunt. His tamen diebus mitto illuc Sacerdotem Rdm. Gruner canonicum Piltinensem, ut sensim dispersas tanquam post naufragium tabulas Religionis catholicae svaviter colligat, quoadusque alium non inventero Sacerdotem plus activum. Audio ante non multos annos dirutam ibi fuisse Capellam catholicam. Cujus memoriam haeretici suppressimere cupiunt.

Sunt quoque praeterea in Curlandia tempella lignea Graeci Ritus Unitorum, unum Illuxtae, ubi duo Basiliani resident, alterum Kreisburgi seu potius in oppido vulgo Jacobsztad dicto, hujus curam agit sacerdos Graecus uxoratus, qui ex mera colecta et eleemosyna vivere debet, stabili carens fundatione. In eodem oppido est etiam Tempellum schismaticum, penes quod tres schismatici Basiliani resident bene provisi.

Livonia mere Polonica.

Livonia mere Polonica subest immediato Dominio Regni Poloniae, communibusque cum alijs Regni Provincijs Legibus gubernatur. Universa iam ex Dei gratia catholica exceptis paucissimis lutheranis et schismaticis. Extenditur per quadraginta et ultra in longum et in latum per viginti alicubi per decem solum millaria Germanica.

Parochiales Ecclesiae stabilem, vel quasi stabilem (quia in quibusdam ad huc controversam) foundationem, eamque tenuem habentes, in hoc tam vasto tractu tantum sunt sex.

1. Prima Dineburgensis, ubi etiam ab Illmo olim Poplawski immediato Praedecessore meo post vacantiam sedis Episcopalis per multos annos Cathedra Livoniae constituta est, sqvallente et gente, tum sub Sveco, tum sub Moscho Cathedra Vendensi, Cathedra vero Piltinensi adhuc in manibus acatholicorum haerente.

Fabrica Dineburgensis lignea, reparatione indigens, habet pro dote Villam Almusam,*) qvam Patres Societatis Jesu Dineburgenses praetendunt (de qva plura hic inferius) fundi autem alij a Rege assignati, nec dum sunt dati. Exiguos habet proventus. Inde agitur Cura animarum ad qvindecim Germanica millaria. Proinde duorum adhuc sacerdotum ministerio et continua residentia haec Ecclesia utpote Cathedralis indigeret, sed modus pro ijs sustentandis deest. Contribuo aliquid de meo, ut interim ibi sit Sacerdos, qvi vices Parochii suppleat.

Praefatam Villam Almusam dictum illustris olim Gąsiewski Palatinus Smolensensis a Gnoso Itkowski emit et ex voto Ecclesiae Dineburgensi donavit, donationisque huius approbationem per constitutionem Regni in comitijs Generalibus Anno Domini 1631. obtinuit.

Patres vere Societatis Jesu acsi titulo alicujus scripti privati, aliquot annos post memoratam constitutionem Regni ab eodem Illmo Gąsiewski uti fundatore impetrati, tum etiam praetextu assertionis quasi ipsimet Patres eadem bona propriis pecuniis emissent, ac denique, quod ibidem pro saeculari sacerdote Parochialia exercuisserunt, eadem bona Aulmusa dicta, sibi appropriare volebant, sed qvoniam privatis Rescriptis Regijs, Constitutiones Regni in Polonia non tolluntur, ideo et privatum scriptum particularis personae, sive declaratio qvaedam fundatoris in praeiudicium tertij videlicet Ecclesiae Dineburgensis non potuit ullo modo tollere aut mutare Constitutionem Regni, et omnino seorsiva Constitutio pro Patribus Societatis Jesu in Comitijs Regni procuranda fuisset, proprijs etiam pecuniis eadem Bona Patres Societatis se emisse sufficienter evincere non poterant, iam enim prius empta haec Bona et Ecclesiae donata, clare eadem Constitutio asserit (cuius tenorem paulo inferius appono) curam etiam animarum et administrationem Sacramentorum extraordinarie recusarunt, ideo Commissarii Reipublicae auctoritate Comitiorum Generalium Regni Anno Dni 1678. Deputati,

* Almusa et Aulmusa sunt idem.

illos omni praetensione ad villam Almuša abiudicarunt, et eandem Villam Ecclesiae Parochiali Dineburgensi Anno Dni 1683. 12. februarij adiudicaverunt. Et sic Parochus, cum ex mente Eminentissimi olim Pallavicini Nuntij Apostolici in Polonia, ab Illustrissimo olim Poplawski Antecessori meo ad eandem Parochialem Dineburgensem, iam antea diu vacantem et in administratione Sacramentorum a Patribus Societatis extraordinarie derelictam, institutus fuissent, vigore hujus institutionis, tum Decreti praefati supra memoratorum Commissariorum Regni eadem bona ante multos annos recepit, et iam tertius Parochus Dineburgensis illa possidet. Multas hac ex occasione habuit molestias praedictus olim Antecessor meus, cum iisdem Patribus Societatis Jesu Provinciae Lithvanae, qvi cum nullum Jus solidum ad eadem Bona monstrare potuissent, spolium sibi illatum (qvod non erat) excogitaverunt, et in eo fundamento Commissionem pro decidenda hac causa ad Episcopum Vilnensem exportarunt, sed iam ante viginti circiter annos ab ipsa recesserunt, et bene fecerunt, nam non privata authoritate, sed vigore Institutio-nis Canonicae ad eandem Ecclesiam, tum etiam iuxta Decretum Commissariorum Reipublicae, Praepositus Duneburgensis eadem bona insimul cum cura animarum a qva Patres Societatis recesserunt, accepit, et ut supra insinuavi, nunc iam tertius Praepositus Joachimus Gönner Canonicus et Vicarius Generalis meus Livonensis illam possidet.

2. Secunda Ecclesia Lucinensis etiam *ligneā*, habens fundationem pro uno Parocho mediocriter sufficientem. Coadiutoribus autem indiget, cum cura animarum inde peragatur per octo milliaria Germanica in populos freqventiore. Submissi illuc unum ex Silesia anno proxime elapso sacerdotem.

3. Tertia Ecclesia Rositensis pro uno Sacerdote habens medio-criter sufficientem fundationem. Indiget etiam Cooperatoribus. Cura animarum inde peragi debet per duodecim milliaria Germanica, unum illuc ex Silesia nisi Sacerdotem non absque difficultate et notabili sumptu, fabrica itidem lignea.

4. Qvarta Ecclesia Parochialis Livenmuisensis fundationem habet, sed post devastationes has bellicas pro uno Sacerdote valde tenuem. Cura animarum per decem milliaria Germanica inde agitur. Fabrica lignea reparacione indigens.

5. Quinta Ecclesia Parochialis Ossunensis, fundationem habens

pro uno Sacerdote tenuem. Ecclesiae fabrica lignea. Cura animarum per qvinque millaria Germanica agitur.

6. Sexta Ecclesia Marienhausensis prope ipsos Moschoviae, et Illius Partis Livoniae, qvae Svetica dicebatur, limites sita. Fundatio pro uno Sacerdote tempore pacis posset esse ut cunque sufficiens. Coadiutoribus autem omnino indiget. Nam Cura animarum per 20 millaria Germanica peragi debet. Vicinissimus huic Parocho Sacerdos, est, ab eo dissitus qvindecem milliaribus Germanicis, idqve ab ea parte, qva non potest esse transitus, nisi sicca admodum aestate, vel regente hyeme viis alioqvi ob frequentes Paludes impermeabilibus. Ex alijs partibus Ecclesiae hujus, merum schisma et haeresis. Ipsa fabrica tempelli hujus lignea miserrima ex fundamentis de novo extruenda. Decies durante hoc bello a Cosacis, Calmucis et Latronibus spolitatum fuit hoc tempellum, ita ut nec filum de apparatibus relictum fuerit. Ad huc modo majori ex parte commodaticijs utitur apparamentis. Parochiani ibi omnes Pauperes Rusticelli. Dominus autem loci sive capitaneatus illius prossessor longius plerumque dissitus, raro aut nunquam ibi residet.

Praeter has Parochiales ex Regalibus fere Bonis fundationes habentes, sunt etiam aliquot aliae in fundis Nobilium Ecclesiae penes qvarum aliquos sacerdotes per modum Capellanorum sive Missionariorum residentes ad nutum amovibiles, curam animarum agunt, qvibus victum et annuam vilem pensionem octodecem vel viginti circiter scutorum pro amictu et alijs necessitatibus opulentiores qvidam nobiles provident.

Ejusmodi Ecclesiae non bene provisae sunt.

7. Prima Indricensis Magnifici Dni Capitanei Plater, Fabrica lignea, penes qvam sacerdos saecularis ante duos annos a me submissus residet. Cura animarum geritur per qvinque millaria Germanica.

Secunda Craslauiensis in Bonis Dominorum Wolff lignea satis decens, penes eam Sacerdos Societatis residet. Cura animarum ibi agitur per qvinque millaria Germanica.

Tertia Dagdensis lignea in Bonis Dni Capitanei Hilsen, penes eam multis annis residebat Missionarius ex ordine sancti Dominici. Praeterio anno a me Vienna missus est eo Sacerdos saecularis. Cura animarum etiam illic agitur per qvinque millaria Germanica.

Qvarta Ecclesia Feymanensis in Bonis Dni Korff haereditarijs, itidem lignea, stramine tecta, ante paucos annos haereticis, qvi ibi nidum fixerunt, recepta. Fundatio pro Sacerdote adhuc tenuis, et multis controversijs obnoxia. Cura animarum inde agitur per qvinque milliaria circiter Germanica.

Qvinta Ecclesia Russonensis itidem lignea in Bonis Dominorum Sokolowski. Fundatio pro Sacerdote exigua et adhuc controversa. Cura animarum inde agitur per qvatuor milliaria Germanica.

Sexta Ecclesia Praelensis lignea in Bonis Dominorum Borch, ad qvam saepe residet unus Missionarius ex Patribus Societatis. Cura animarum inde agitur per decem milliaria Germanica.

Septima Ecclesia Aulmuyzensis lignea in bonis Ecclesiae Duneburgensis similiter Aulmusa dictis sita, titulo filialis ad ipsam et Ecclesiam Duneburgensem spectat et a praeposito Duneburgensi Sacerdos pro illa provideri debet. Cura animarum inde agitur per qvatuor milliaria Germanica. De hac Villa Aulmusensi superius sub titulo Ecclesiae Duneburgensis iam satis commemoravi.

Octava Ecclesia Usvaldensis in Bonis Patrum Societatis lignea, ad eam certis Dominicis Missionarius Societatis exurrit. Cura animarum etiam inde agitur per qvatuor milliaria Germanica.

Nona Ecclesia Kounatensis Magnifici Domini Soltan Vexilliferi Livoniae, ad qvam Pater Dominicanus curam animarum exercet, fabrica lignea. Cura animarum inde agitur per qvinque milliaria Germanica, sunt et aliae Ecclesiae potius Capellae sine ulla provisione. Est insuper in hac qvoque Livonia mere Polonica Residentia, sive parvum Collegium, Patrum Societatis Jesu Duneburgi, ubi humaniiores literas docent.

Adsunt qvoque duo parvi Conventus Patrum Dominicanorum unus Possini, prope ipsos Moschoviae limites, alter Wyszkoviae seu Jaglonae³.

In hac utraque Livonia, Germanicae, Polonicae Lithvanicae et Lothvanicae imo Peterburgi ac in qvibusdam maritimis alijs Urribus etiam Italicae ac Gallicae lingvae, saltem talis qvalis notitia est, valde necessaria cuilibet operario spirituali.

Ex his omnibus facile animadverti potest, qvanta sit in tam vastis ac spiritualis auxiliij indigentissimis oris Sacerdotum et Pro-

³ Loco hodiernae Aglonae in relatione scribitur „Jaglona“, seu Wyszkowia.

visionum penuria qvantus pro sustentatione eorum defectus, et qvanta difficultas aptos operarios eo conducendi. Illi enim qvos undecim circiter ex varijs partibus et ex Silesia conqvisivi et meis sumptibus conduxi, vestivi, non sufficiunt, imo hi ipsi diversitate et abstrusitate lingvarum provisionumque tenuitate absterriti aegre, ibi retineri possunt, et iam duo recesserunt. Omnino duplo plures sunt necessarij, ut in qualibet Parochia sint duo, ne homines sine Sacramentis vivant, sine dispositione moriantur. Similiter necessarium foret, ut in defectu beneficiorum et provisionum congruarum pro sustentatione sacerdotum, sacerdotes pro his provincijs seu pro Diaecesi Livoniae, titulo missionum de propaganda fide ordinari, et ex ordinariis Sanctitatis Vestrae eleemosynis aliquam particulam participare possint, vel non aggravando thesaurum congregationis de propaganda opportunissimum foret, aliqua beneficia designare sub commendam Episcoporum Livoniae, qvousque non receperint Bona Episcopatus Piltinensis, ex qvibus proventus in Missionarios et Ecclesias convertant, et de illis Congregationi de propoganda fide rationem reddant quolibet Anno. Ego in eum finem beneficia Scepensijs, qvae mihi in administrationem Eminentissimus Cardinalis Saxoniae ad praeresentationem laicalem, in sua Archidiaecesi Strigoniensi, in Regno tamen Poloniae sita concredidit, offero, et dispensationem pro retentione illorum saltim, ad breve tempus humillime peto; de qvibus proventus in praefatas necessitates spirituales Livoniae iam dedicavi sive expendi plusqvm per medium. Paratus in futurum rationes reddere S. Congregationi sive ego vixero, sive non: attamen credo hunc modum fore proficuum ad obviandum qvibusvis disordinibus ex occasione defectus supplementi. Hoc enim certum est, qvod qvicunque fuerit Episcopus Livoniae, non facile habebit modum succurrendi illi Diaecesi, vel non libenter substantiam suam, si qvam habebit expendet. Nullos ex Episcopatu habendo proventus, sciendum qvippe est in illis oris nullos esse pro Episcopo proventus et nihilominus omnia qvasi de nova radice cum catholica Religione plantari debere (prout supra commemoravi) qvae sub immediato antecessore meo Illustrissimo olim Poplawski ibidem reflorescere, ac sacerdotes catholici reinduci caeperunt plenisqve etiam e Nobilitate catholicam fidem (Haeresi lutherana abiecta), amplectentibus ita, ut iam non nisi unum fanum lutheranum in tota hac pure Polonia Kreisburgi supersit in Bonis Dominorum Korff.

Omnes fere Ecclesiae, qvae in Livonia mere Polonica inveni-

untur catholicae, intra hos triginta annos erectae sunt, longeque feliciores cultus Divinus ibi haberet progressus, nisi paepepedissent, et adhuc paepepedirent calamitates hae bellicae, qvae iam per octo-decem annos durantes Provinciam istam, utpote Moschis et Svecis immediate conterminam ac per consequens hostili furori, magis expositam adeo afflixerunt; ut iam exhausti nobiles, de se ac suis liberis alendis, magis qvam de Ecclesijs fundandis aut dotandis sint solliciti. Erigunt qvidem saepe in suis bonis lignea sacella sed absqve ulla fundatione et dotatione pro sacerdote; ac interdum viciniorem ad ea sacerdotem invitant, qvi collecturus ex sylvis, in qvibus dissitis mansiunculis fere Brutorum more degunt, rudissimos rusticellos, in Christianismo aliquantum instruunt ijsqve sacramenta administrant.

Seminarium summe est necessarium, cujus erectionem ex pio Legato ultimi olim Coadjutoris Episcopi Livoniensis (uti insinuavi) procuero, sed hoc legatum non sufficit, et si sufficeret effectus non statim sperandus, educandae Iuventutis. Ideo omnino expedit, ut in alumnatibus Brunsbergensi et Vilnensi sit studium lingvarum ad nostras Missiones aptum, Germani Brunsberga mittantur Vilnam pro addiscenda lingva Germanica Polonica et Lithvanica. Lithvani vero Vilna Brunsbergum, ita ut omnes sint Capaces praedicare Verbum Dei omni creaturae qvocunque missi fuerint, et vel maxime sit magister lingvae Lothovicae pro Livonia saltim in uno Alumnatu. Rarissimi enim reperiuntur in tam numerosis Regionibus, et inter saeculares sacerdotes, qvi illam lingvam sciant. Cum tamen in tota Livonia sit communis, et non sit, qvi esurientibus frangat panem. Hoc etiam paeacavendum esset in praedictis alumnatibus sanitatis Vestrae, ut alumni iurent, non redditum in Patriam, sed obedientiam Sanctae Sedi qvo missi fuerint. Multi enim Varmienses, aut Lithvani nolunt exire ultra Patriam, sub praetextu qvod iurant redire in Patriam, et sic non redeunt, sed manent in Patria ubi student.

Iniungendum denique esset Patribus Societatis Jesu Provinciae Lithuaniae, ut Mittaviae, in metropoli totius Curlandiae, omnino sine dilationibus scholas reassumant, qvas sine ullo fundamento dereliquerunt, ubi nulla alia sunt studia, similiter iniungendum esset, ut Missiones saepius faciant in Livonia Svetica, ac Residentias fixas procurent in principalioribus civitatibus cum ad majorem Dei Gloriam propagandam multa pia legata collegerint, qvando Mittaviae

vices Parochi obibant, alias deberent reddere rationem horum piorum legatorum.

His ita fideliter in compendio relatis, subijicio omnia et me ipsum Correctioni Sanctitatis Vestrae, si populo sum necessarius non recuso laborem, et simul supplico, ut sanctitas Vestra singulariter respicere velit illas, quasi extremas orbis partes.

De unione Ecclesiae Graecae cogitare dignetur Sanctitas Vestra. Nunc enim proprietor est nostra salus, quam dum credidimus quando serenissimus Czarus favet Religioni catholicae de unione facienda favorabiliter semper discurrit, et mecum aliquoties locutus est.

Serenissimus quoque Ejus Filius Princeps Haereditarius non est Nobis contrarius. Et cum supponendum sit, quod consors Ejusdem Principis lutherana soror Romanorum Imperatricis Regnantis ad Religionem Graecam transeundi, habebit persvasiones, sperare licet, quod easdem vitando, poterit more aliorum Acatholicorum proponere, ut prius Unio Ecclesiae Graecae cum catholica fiat, anteqvam illa deberet lutheri dogmata deserere. Unde foret motivum ut serenissimus Moschoviae Czarus Ipse quaerat hanc Unionem, quam nos desideramus, ut tandem fiat in diebus nostris unus Pastor et unum ovile. Hoc dum spero, una cum Grege mihi concredito prosperrima qvaeque ad multos annos Sanctati Vestrae exopto, et in osculo pedum Sanctitatis Vestrae maneo cum submississimo cultu et veneratione. A. D. 1715⁴.

⁴ Ultima pagina relationis repetita est in folio separato et finitur: A. D. 1715 — quod significat: „Anno Domini 1715.”

III.

**RELATIO EPISCOPI JOSEPHI DOMINICI PUZYNAE DE STATU
DIAECESIS LIVONIENSIS ET PILTINENSIS A. D. 1749 FACTA.**

Status Religionis Romano Catholicae Episcopatus Livoniae, Semigalliae et Curoniae sive Piltinensis (tempore Josephi Dominici de Kozielsk Pusinae episcopi Livoniensis defuncti anno 1752 — anno vero 1749 Descriptus)⁵.

Non Solum Ex obligatione Juramenti, quo cogor obtemperare mandatis Superiorum meorum, sed et ex mera Devotione qua feror in Ssuum Dnum Nostrum modo gloriosissime navigium Christi dirigentem, de statu Episcopatus istius quidquam referre praesumo, immo ex particulari desiderio exoptandi mihi salutare, et in documentum debitae subiectionis meae, quam etiam perennis gratitudinis pro innumeris beneficiis. In Seminario Ejusdem Brunsbergensi collatis rationem villicationis reddere minime intermitto. Ante omnia devotissime expono:

Ab origine introductae Religionis Catholico in Livoniam circa annum 1160 una erat Diocesis Livoniae, quae successive quatuor habuit per obitum sibi succedentes Episcopos. Primus Episcopus Livoniae erat Meinhardus, qui adhuc Presbyter zelo animarum ductus venit in hanc Provinciam per mare cum Mercatoribus Bremensibus ad Evangelizandum Verbum Dei. In arce Uxkul dicta principalem fixerat residentiam, ubi devotiones cum Catholicis facere consueverat plurimos ad fidem convertit, Religionem Catholicam cum DEI auxilio plantavit, ac tandem multis decoratus meritis Pontifícia tiara coronari meruit circa annum 1170. Hic Pontifex in hanc usque horam reperitur incorruptus Rigae in Ecclesia Sanctae Mariae, quae fuit cathedralis. Ante annos circiter duos, id est 1747 quidam Nobiles Curlandienses Catholici*, quorum unus est Consiliarius Intimus Russicae Majestatis Liven⁶ dictus alter Generalis Militiae Ejusdem Russicae Maiestatis Supradictam Ecclesiam tanquam Hostipes visitarunt inter alia viderunt etiam corpus Supra fati P. M.

⁵ Pars inscriptionis in parenthesi sumpta est addita posterius, probabiliter ab eodem sacerdote Daniele Rymkiewicz a. 1870.

* Cf. Urkunden und Nachrichten zu einer Familiengeschichte. A. Lieven. Mitau. 1911, pag. 237—238.

Episcopi Meinhardi, a quo prius dictus Dnus de Liven certam partem digiti, et vestis frustum dextere et satis caute ob metum acatholicon subduxit, quae in testimonium incorruptionis sua ab illo servatur. Advertentes autem acatholici Rigenses, id, absconderunt corpus muris obductis et intra muros ferreis cratibus muniverunt, ita ut neque amplius videri, neque reperiri possit.

Secundus Episcopus Bartholdus circa annum Dni 1190 Vir zelosissimus, qui inter res praecclare gestas etiam Rigam celeberrimam urbem cum portu ad mare balticum incepit aedificare.

Tertius Adalbertus⁶, circa annum 1196 Episcopus Livoniae creatus erectionem ejusdem Civitatis et portus Rigensis continuavit. Ut vero eo melius Paganis resistere, Religionem que ibidem felicissime plantatam tueri posset Ordinem Ensiferorum seu militae Christi instituit, cuius Tessera erant duo rubei gladioli cum stella circa pectus decussatim pallio assuti sed non diu hic ordo duravit, nam Gregorius IX Pontifex Maximus Viterbii secunda maji, Pontificatus sui anno 9 no Eundem incorporavit Ordini Fratrum hospitalis Stae Mariae Theotonicorum. Idem Adalbertus Episcopus Livoniae titulo Ppis Rni Imperii a Friderico Romanorum Imperatore anno Dni 1224 kalend. Decembr: Noremburgae decoratus, et amplissimis privilegiis ad instar aliorum Ppum S. Rni Imperii donatus est, ubi appellatur Eppus Livoniae, Lealiae, Lethlandiae et aliarum ad litus maris provinciarum: primus in Livonia pecuniam cudi fecit, hoc originale privilegium Imperatoris asservatur in archivo Regni Poloniae copiam vero germanico idiomate Rigae typis impressam in libro intitulato *Theatridium Livonicum*, non unicuique videre licet.

Quartus Eppus⁷ nomine Nicolaus circa annum 1230 eidem praefuit diocesi, tandem crescente multitudine Catholicorum diocesis Livoniae divisa fuit in plures Episcopatus, videlicet Semigalliae (:qui brevi ab Innocentio IV Lugduni anno Pontificatus sui 8-vo suppressus fuit) Revaliensem, Osiliensem, Curoniensem, et Dorpatensem, sub archiepiscopatus Rigensi. Cui et alii Episcopatus Prussiae, videlicet Warmiensis, Sambiensis, Pomeraniae et Culmensis suberant, taliter constitutus Spiritualium in Livonia status duravit ultra tria saecula non tamen sine perturbationibus variis enim res Eccle-

⁶ Tertius episcopus Livoniensis in relatione dicitur „Adalbertus“ loco Albertus.

⁷ „Eppus“ significat abbreviationem „episcopus“.

siastica agitabatur fluctibus, quos non tam vicina exagitabant bella, quam ambitio et persecutio Ordinis Theotonici. Etsi enim Superioritatem Epporum agnoscere debebat (:quod praeter alia documenta testat Concordia Alberti Archieppi Livonensis, et Henrici Curoniae Eppi cum eodem Ordine Militum Teutonicorum, anno Dni 1254 inita, uti ex Archivo Regni sub titulo Literae Ducatus Livoniae patet) majoribus tamen Sensim milites hujus Ordinis aucti proventibus (:quorum non nisi tertia pars in Livonia et Lettia originaliter ipsis ab Eppo Livoniensi concessa erat). Facile successu temporis Eppis subesse, ac Rigensem etiam Civitatem per vim Archieppo receptam quamvis multis decretis et censuris sedis Apostolicae gravati restitueri detrectabant. In inferendis bellis Regno Poloniae, ac in perpetratis caedibus indomiti in variisque scandalis incorrigibiles graviter Pa- stores suos saepius afflixere, usque ad tempus Martini Lutheri, quo sicut populus sic Sacerdos majori ex parte depravati, et Haeresi sensim infecti novam status induxerant formam. Auxerat Carolus 5ntus Imperator fastum Magistrorum Provincialium Livoniae ejusdem Ordinis, dum anno Dni 1529 Schennigium Ordinis Magistrum Principem Romani Imperii fecit. Quo novo titulo aucti antiquum Honorem Principatus Romani Imperii et Superioritatis Episcopo Livoniae originaliter postea Archi Eppo Rigensi debitum audacius contemnentes, per oppressionem Spiritualium, Disciplinam Ecclesiasticam enervarunt: eoque Henricus de Palen, et successive Firschtbergius Livoniae Magistri audacia pervenerunt, ut Archi Eppum Rigensem Vilhelmm captivum in Arce Kokenhausensi includerent, et tamdiu detinerent donec illum Augustus I Rex Poloniae cum exercitu veniens liberaret. Luit quidem Firschtbergius sceleris sui poenas, quas in vinculis Moschoviticis justo DEI Judicio circa annum 1558 (NB espr:)* morte sua expiavit, sed tamen occasionem mutatae Religionis in tam insigni Provincia non delevit. Sacerdotes multi oppressi, aliqui ab Haereticis perversi bona Ecclesiastica partim erepta sibi nullo fructu cum Archiepiscopo luxerunt partim dilapidaverunt. Multis malo exemplo praeivit Joannes a Maenhausen Episcopus Curoniensis et Oseliensis. Hic enim videns omnia fuisse confusa in turbido pro Patrimonio Christi pecunias pis- cari voluit, Episcopatusque suos Oseliensem et Curoniensem sive Piltinensem anno Dni Millesimo quingentesimo nono Friderico II

* Adnotatio inter lineas, cuius significatio non est clara.

Daniae Regi oppignoravit, sive vendidit pro triginta millibus Talerorum. Cum reliquis imo cum tota Livonia Gotthardus Kettlerus Successor Firschtenbergii, ultimus Magister Ordinis, Lutheranus factus subiecit se Regi et Regno Poloniae, reicta sibi et Successoribus Masculis jure feudi Curlandia et Semigallia Anno millesimo, quingentesimo Sexagesimo primo. Nullus tunc erat modus restabilien-dae in ea Provincia rei Catholicae, ubi Averni aestuabant impetus quoisque post mortem Augusti I non successisset Stephanus Bathoraeus in Regnum Poloniae Anno Dni mill: quingent: septuag: Sexto, Vir Zelosus et Religiosus. Hic Anno Dni Milles. quingent. octuag. tertio fundavit Episcopatum Vendensem in Livonia, quae primo Svetica modo Russica dicitur, non tamen in Suppressionem priorum Episcopatum (nam illos non omnes tum temporis in sua Potestate habuit. Revaliensis quippe in manibus Svecorum haeserat. Oseliensem autem et Curoniensem Episcopatus Regis Daniae Frater Dux Olsatiae Nomine Magnus possidebat) sed ne resedui Catholici Spiritualibus fraudarentur obsequiis in illa tam vasta Provincia Livoniensi, cuius titulum postea Eppi Vendenses retinere videbantur, utendo titulo Eppi Livoniensis, quod patet ex originalibus Literis ad Martinum Kromerum Eppum Warmiensem Scriptis Anno Dni. Mill. quingent: octuag. quinto, vigesima septima Novembribus in quibus Eppus se Suscripsit his formalibus *Episcopus Livoniae*. Hae literae inquirendae in archivo P. M. Celsissimi Ppis⁸ Primatis Szembek. Post obitum Magni Ducis Olsaciae Fridericus Daniae Rex receperat Episcopatum Curoniensem, quem Illi prius dederat sed postea Stephano Regi Polonio pretio aeris, et sanguinis, id est post cruentum bellum, et restitutam sibi Summam triginta millium Talerorum, reddere debuit, mediante Georgio Friderico Principe Marchione Brandenburgico, qui Eidem Regi Stephano in Eum finem subministravit peccunias, et loco pignoris Episcopatum obtinuit, tenuitque Ipsum per multos annos cum sua Uxore Sophia Ducissa Anspachiana. Haec Vidua derelicta Jus suum Hypothecae cessit Nobili Piltinensi Dno Meidelio, cum Consensu Regis Poloniae et salvis Juribus Ecclesiarum Catholicarum. Litigavit hac de re cum Meidelio Dux Curlandiae, potiorem se ad eximendum Episcopatum asserens, sed cum ad Judicium Regium devenisset negotium, post

⁸ „P. M. Celsissimi Ppis“ abbreviatio: „Piae memoriae Celsissimi Principis“.

serias partium Controversias, Vladislaus Rex A. Dni Millesimo Sexcentesimo Quadragesimo Quarto, pro Meidelio Decretum tulit, Ducem Curlandiae ab omni Praetensione abjudicavit, manifestationemque Praepositi Samogitia Nomine Sui Episcopi, uti administratoris Curonensis Episcopatus tum temporis in Judiciis factam, ne quid in praejudicium Jurium Ecclesiasticorum in Episcopatu Curoniensi fieret ad acta ingrosuri mandavit: Cujus Exemplum secuti Reges Poloniae, nunquam voluerunt Ducibus Curlandiae in Feudum concedere hunc Episcopatum, prout patet ex investituris illorum. Interim dum Sveci occupassent Illam Livoniam, ubi Episcopatus Vendenensis noviter erectus erat, et nonnisi Episcopus Samogitia per modum Administratoris ab Urbano VIII-vo constitutus Curoniae et consequenter Livoniae Curam gereret, statutum est in Comitiis Generalibus Regni Poloniae A. Dni Millesimo Sexcentesimo Septuagesimo Septimo, ut quemadmodum Dignitatis Seculares Palatinatum et Castellanatum in illa Provincia consistentes ad Unam Dignitatem Palatinatus et Castellanatus Livoniae reducebant; ita etiam Episcopus Generali titulo Episcopi Livoniae cum Consensu Sedis Apostolicae gauderet, prout ab origine introductae Religionis in illam Provinciam practicatum fuit antequam in Archiepiscopatum et alios Episcopatus fuisse divisa Diocesis Livoniae. Creatus itaque Episcopus Livoniae Illmus Nicolaus Poplawski ad Nominationem Serenissimi olim Joannis Tertii Regis Poloniae Ao Millesimo Sexcentesimo octuagesimo tertio illi datam; inchoavit Processum pro recuperando Episcopatu Curoniensi, qui ad illud tempus Jure hypothecae et Salvis Juribus Ecclesiae, quasi de manu ad manum Hippothecariis variis Possessoribus porrigebatur veneratque tunc temporis in Possessionem generosae Sibillae Meidelovae viduae, tum et Ducis Curlandiae, qui nullo Jure acquisiverat Sibi aliqua Ejusdem Episcopatus Piltinensis seu Curonensis Bona, et postea per Potentiam Jurisdictionem super Nobilitatem acquirere satagebat. Assignata tandem est Commissio, et Commissarii designati ex Comitiis Generalibus Regni Ao Dni Millesimo sexcentesimo octuagesimo quinto in ordine ad eximendum hunc Episcopatum, ad Instantiam Episcopi et Decretum fuit latum Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Octuagesimo Sexto Piltini ab eisdem Commissariis in favorem Juris Episcopalis ut videlicet Episcopus redditia si et cui deberet, peccunia Triginta Millium Talerorum reciperet Episcopatum seu Bona Episcopalia. Hocque Decretum pro Sola approbatione ad Judicia Rela-

tionum Serenissimi olim Joannis remissum est. In termino itaque ex remissione incidenti, Serenissimus Rex Joannes III reiectis Exceptionibus partis adversae contra validitatem actus Commissionis, validoque eodem actu adinvento, partibus procedere mandavit. In procedendo autem cum Episcopus Jura Sua sufficientissime deduxisset, Serenissimus Rex durante Bello turcico incommoda publica, quae pro tunc a Rege Sveciae pro Lutheranis Instantissime perorante evenire potuissent, procul a Patria avertendo haec in Causa deliberandum censuit cum publicatione Decreti in favorem Episcopi, sed hanc deliberationis resolutionem Obitus Ejus anticipavit. Tandem G. M; Serenissimus Rex Augustus Secundus Instante Illusterrimo olim Theodoro Wolf Coadjutore Episcopatus Livoniensis in Consilio Magno Varsoviae per publicam Constitutionem Ao Dni Millesimo Septingentesimo *decimo* obligavit se finitum brevi hanc causam. His fundamentis innixus p: m: Illmus Episcopus Christophorus Szembek, cum post ascensum Coadjutoris Praefati ad Episcopatum Chełmensem Ipseque vero Episcopus Poplawski ad Archiepiscopatum Leopoliensem promotus fuisset, ad eundem Episcopatum Livoniensem cum expressione Vendensis et Piltensis Ecclesiarum et Ao Dni Millesimo Septingentesimo undecimo in Festo Nominis Beatissimae Mariae Virginis in Septembri consecratus fuisset, reassumpsit Continuationem Processus ab Antecessore Suo inchoati Citationesque ad audiendam Ultimam Sententiam, et Expedientiam Deliberationem a Serenissimo olim Joanne hac in Causa prachabitam Generoso Sakin uti successori Meideloviano in Hippothecam tum etiam Duci Curlandiae ac aliis injustis Bonorum Episcopatus Possessoribus extradi et intimari curavit. Comparuerunt Cittati per Plenipotentes in Termino ex Citatione provenienti, quae erat sexta Martii Ao Dni Millesimo Septingentesimo decimo tertio, et dilationem ad ulteriore tempus petierunt. Sed Senatores et Ministri Status pro expedienda Deliberatione Serenissimi Joannis, et reddendis ipsi Bonis Episcopatus juxta Decretum Commissariorum Republica deputatorum Anno Dni Millesimo Sexcentesimo Octagesimo sexto latum vota dederunt, quae vigore Pactorum Conventorum de pluralitate Votorum a Rege sequenda vim Decreti habere debet. Nihilominus Serenissimus Rex eandem Deliberationem iterum prorogavit publicationemque Sententiae Definitivae Sibi reservavit ad sequentem Mensem Octobrem sive ad aliud tempus sibi bene visum etiam sine praevia adcitatione.

Tandem institit Idem Illmus Episcopus Szembek apud Serenissimum Regem pro expedienda Deliberatione jam prius praehabita, et promulgato Decreto, juxta priora vota Senatorum ac petiti Varsoviae, habuitque Septimo Aprillis Anni Millesimi Septingentesimi decimi quinti in Judiciis Relationum iterum omnium Vota (: Unico excepto Magni Thesaurarii Dilationem svadente :) sibi favorabilia. Serenissimus autem Rex obrutus Instantis Regum Daniae et Prussiae, iterum uti prius deliberavit. Dedit tamen post aliquot dies Rescriptum ad Ducem Curlandiae et alios Possessores Bonorum ut cum eodem Illmo Episcopo Szembek componat de his Bonis intra Sex Menses a data Rescripti, declarando alias Decretum secundum unanimia Senatorum Vota jam data se publicaturum sine ulteriori alia adcitatione. Terminus publicandi immediati Decreti, incidere deberet et incidisset mediis diebus Octobris, nisi Serenissimus Rex in Saxoniam discessisset. Pro tunc G:M: Celsissimus Primas Regni Szembek tamquam Episcopus Livoniensis secutus Serenissimum Regem, et ne ullam occasionem finiendi negotii intermitat, Plenipotentes Varsaviae in metrica Regni ad componendum Negotium, si Pars adversa id affectaverit inscriptos reliquit. Quodsi pars adversa non composuerit Negotium Decretum supradictum sine ulteriori adcitatione publicari debet. Certum est quod pro tunc non sine singulari zelo, atqui magno labore et applicatione, ut impossibile perpetuas gratitudines solvere, cooperavere Illmi Nuntii Apostolicae Sedis.

Manet autem in hanc usque horam neque Decretum publicatum, neque Causa amplius ventilata, neque spes Decretivi effectus, nisi Sanctissimus Pater admonere dignabit Serenissimum modernae Gloriose Serenantem Thronum Regni Poloniae, ad publicandum decretum aut faclor adinveniet. Modus complanationis cum Guarantia quorum finis est ne felicem pro gloria militantis Ecclesiae haec causa capiat finem. Zelavere post hoc Ilsmi Szembek consecutive succedanei Episcopi Livoniensis, Ilsmi Hosius, Wessel, Moszynski, Sirakowski, et modernus feliciter dirigens Diecaesim Suam dilectam Josephus Dominicus de Kozielsk Puzyna, verum hucusque, sine auxiliatica et efficaci Dextera inefficax permanet Causa, ubi citra Ofensam Serenissimae Majestatis Causa proponi non vult. Imo Contraria pars sive Possessores Bonorum Episcopali gloriantur (: licet id non praejudicet Causae Episcopali :) se gaudere tali Rescripto, ut non citius composeant nisi illis id demand-

datum fuerit. Rogat itaque demississime ut cum autoritate Ecclesiae efficacia felice finem capiat. His intra parentesim insinuatis et praemissis redeo ad essentialia status dioecesis, qualis fuerit et qualis est, breviter deferendo.

Status modernus Dioecesis Livoniae.

Amplitudo Dioecesis satis est magna, longitudo enim illius a finibus Prussiae usque Peterburgum centum quinquaginta millaria Germanica attingit, latitudo vero quadraginta Millaria excedit. Lingua illic principalis inter Nobiles et Cives Germanica est, inter Plebejos vero Lothvanica, cum variis Mixturis Svetico Germanicae Linguae; Ultra Narvam versus Peterburgum Moschovitica seu Illirica unica est. Ubique tamen in Portoriis civitatibus Italica et Gallica a Nobilioribus Catholicis frequens invenitur, Polonica alicubi non rara. Lutheranorum ibi multitudo magna nimis, nec desunt Calvinistae et Schismatici; Catholici in Servitiis dispersi Pauperes et satis rari in illa parte Dioecesis ubi anterius Svetica modo Moschovitica Livonia dicitur. Ante triginta vel viginti annos Rigae libenter patiebatur adventus Catholici Sacerdotis, imo parabatur ipsi hospitium, quod per totum annum immune erat a Statione militari inquartirung, hoc autem fiebat propter commertia cum polonis. Modo vero vix trium dierum residentia ipsis permittitur ob metum Conversionis, et nonnisi propter commoditatem Excellentissimi Feldmareschalci, tanquam Catholici, vix patiuntur duo missionarii Patres S. J: Sunt tamen et alli missionarii a Sacra Sede missi Peterburgi, Arηhangeli, Revaliae, et in aliis Locis seu aulis Dominorum Generalium militiae, nescio autem quis illorum fructus Spiritualis sit, cum nec Emo L. O.⁹ se monstrarunt nec unquam per Mittaviam transeuntes coram Ejus Officio comparuerunt nec in minimo per literas desideria sua explicarunt. Summopere agitur ratione Ss. Sacramentorum Administrationis et Ss. Oleorum quia se his indigere nunquam scripserunt nec unde hos compararunt scio. In Livonia mere Polonica omnes sunt Catholici paucissimis exceptis Lutheranis.

Ecclesia Cathedralis ab Ilsmo G: M: Episcopo Poplawski Duneburgum translata pauperrima vix Parochiali Simplici comparanda.

⁹ „Emo L. O.“ — significat: „Excellentissimo Loci Ordinario“.

Triginta milliaribus a Civitate Rigensi et tot circiter a Mittaviensi distat. Capitula Canonicorum rarissima fiunt. Residentia nunquam observatur, nihil etiam de Proventibus auditur. Episcopus nullam habet Residentiam, nullum Reclinatorium, Proventus nulos, Expendias magnas computare potest Sacerdotibus ex diversis partibus conductis sustentatio et antecedenter debuit, et modo quaerenda est. Interim Sacerdotes post tot expensivas Sollicitudines et Curas praecedaneorum Episcoporum adhuc satis rari in plurimis locis; Parochiae et si amplissimae, imo Dioecesibusque aliorum locorum similes vel majores tamen paucissimae, specialiter in Curonia seu Curlandia, ubi quatuor, quinque usque, ad duodecim vel pluribus viginti milliaribus Germanicis Sacerdotes a se invicem distant; Interea omnes, fideles a Sacerdotibus tam procul ad invicem distantibus omni possibili modo provideri volunt. Hinc raro conitentur homines, et neque ad id saepius faciendum cogi possunt. Contigit etiam ut aliqui Septuagenarii vix prima aut altera vice Confessi aut etiam Nonagenarii baptizati fuerint, ut testantur libri Metrices Eccles. R. C. Mittavien. de Ao 1748. Debent itaque fideles a Sacerdotibus excurrentibus itinere aliquod hebdomadarum aut dierum inquiri. Hinc licet sonet hic bene: Messis multa Operarii pauci; deficiunt tamen Modi quo et Messores honeste ali et sustentari posse et deberent.

In Livonia Svetica nulla Ecclesia habetur. Ante annos circiter quindecim autem a Russica Majestate ad Intercessionem ab Aula Regia et Repub. Polona missi Legati permissum fuerat, ut Catholici sibi Rigae Ecclesiam erigerent, quae concessio post Ejusdem Legati abitum suppressa et neque concedunt modo Rigenses Missionaris ut delinquentes disponant ad viam aeternitatis. Alias privatim sacramenta administrare illis licitum est. In Curlandia vero quae ad Polono-Livonicam Dioecesim una cum Semigallia pertinet, Ecclesiae fuerunt: 1-ma Alschvangensis 2-da Goldingensis 3-tia Mittaviensis 4-ta Laukiesana de quibus Suo loco. Ad has Ecclesias pertinentes Fideles post bella et pestem pro baptismo et matrimonio ob defectum Parochorum ad praedicantes Lutheranos recurrere cogeabantur. Sed jam p. Dei Gratiam praedictae Ecclesiae restauratae Suis sacerdotibus bene provisae sunt. Accesserunt et aliae Ecclesiae in Curonia Semigallia, et Piltinensi Districtu, de quibus idem in Suo loco plura.

Et quia in plurimis locis multae desolationes et magna paupertas compassionem movebat, proinde, tum Illmi Nuncii Antecedanei Viri zelosissimi et Apostolici, tum Illmi Episcopi Livonenses, specialiter

G. M. Illustrissimus Szembek protunc Episcopus Livoniensis, imo et postmodum tanquam Episcopus Cujaviensis et denique Archiepiscopus Gnesnensis necessitatibus istius Dioecesis ut plurimum succurrent. Invenio in notationibus specialiter annotatam liberalitatem Eminentissimi Cardinalis Odeschalchi qui sub tempus suae Nuntiaturae tum centum, tum plures Hungaricales contribuit pro missionibus. G. M. Celsissimus Szembek, ut in districtu Piltinensi pedem figere posset, bona coemit Lehnen, Mugerkaul, et Litzen, pretio fere in duplo paevalente bonis .. Eademque bona in perpetuum legavit, donavit, succedaneis Episcopis Livoniensibus. In iisdem bonis facta est fundatio Parochiae cum scitu et voluntate p. m. Celsissimi primatis. Item cum voluntate protunc Illustrissimi Episcopi Moszynski, ubi modernus Illustrissimus Loci Ordinarius Noster non sine magnis sumptibus pulcherrimam aedificat Ecclesiam. Haec ad interea. Proclariori et magis distincta praemissorum in particulari informatione: sciendum Livoniam dividi in Sveticam et Polonicam.

Livonia Svetica.

Livonia Svetica illa est, quam Sveci a Polonis armis acceperunt nunc vero a Moschovittis possidetur, haec possesio anterius habebatur cum pacto eandem restituendi et applicandi Regno Poloniae, nunc vero nec spes recuperandi, multominus restituendi apparet. In longum extenditur a territorio Rigensi inclusive ultra Narvam per septuaginta millaria Germanica, quia autem modo sub dominio Russicae Imperatoriae Majestatis est ideoque usque Peterburgum Limites protrahuntur, excedunt itaque centum millaria. In latum vero a Civitate Revalensi usque Kokenhausum quadraginta millaria continet. In hac provincia erant, superius nominati Episcopatus, Revaliensis, Oseliensis, Dorpatensis, et Archiepiscopatus Rigensis. Omnes antiquissimae fundationis, et praeterea fundatus Anno Domini millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, a Stephano Bathoreo Rege Poloniae iam sub tempus Lutheranismi ibi gressantis, Episcopatus Vendensis de quo supra insinuavi. Tota haec Livonia plena est Lutheranis, Catholici pauci, et quidem in variis locis dispersi, Rigae tamen frequentiores inveniuntur, sed nonnisi a Sacerdotibus Societatis JESU duobus providentur devotione quasi licita sub praetextu Capellanizantibus ad, aulam Excellentissimi Domini Feldmareschalci de Laci. Ipse Illustrissimus Loci Ordinarius hoc

anno millesimo septingentesimo quadragesimo nono, mense Julii Rigam descendit, quaerens munia Episcopalia omni possibili modo exercere. Verum ipse Excellentissimus Generalis Feldmareschalcus disvasit etiam omnia anterius licita exercitia libera Religionis, et nisi ultro ursisset pro zelo suo vix non disvasisset Sacrificium Missae celebrare. Notandum hic est: quod Excellentissimus Graf de Laci Illustrissimo Episcopo in audience privata remonstraverit statum modernum Religionis Catholicae prorsus esse alium cum praeterito, qui liberum exercitium Religionis concedebat. Item se Ipsummet cum Licentia Ssmi et scitu sive consensu Russicae Imperatoriae Majestatis pro aula sua duos tantum fovere sacerdotes Societatis Jesu posse, unde et alii miserculi Catholici Ssmis Sacramentis provideri possunt. Denique quandoquidem Fortalitium Rigense ad Magistratum pertinet, Russica Imperatoria Majestas vero nullum dominium in civitate exercet et nonnisi sola munitione militari hanc civitatem custodit, Ipsa civitas vero nobilitata, suis juribus a Rege Sveciae acceptis a Russicis Imperatoriis Majestatibus corroborata ut circa. iura sua (: in quibus sola augustana confessio vel religio Lutherana firmari et manuteneri voluit) conservetur; Proinde omnibus his firmatis et roboratis, sola civitas summoperi resistit, ne liberum exercitium Romano Catholicum ibidem habeatur, omnibus possibilibus modis quaerendum, ne miserculi Catholici suarum animarum cura destituantur. Non prohibetur tamen Rigae advenis sacerdotibus venientibus una cum mercatoribus aut aliis suas merces vel ex Lithuania aut Livonia Polonica caeterisque locis advehentibus, ut circa litus Dunae fluvii pro suis advenis exercitant officia ministerii sui Romano-Catholici.

Peterburgum civitas est portoria a Serenissimo Czaro Moscho-viae Petro de nova radice fundata, ubi ordinarie Czarea Majestas residere solet, multi ibi Catholici sunt, vel maxime Italicae nationis, qui primo ecclesiam parvam in eadem civitate ligneam instruxerunt per modum capellae, quam Serenissimus Czarus Petrus (qui a Suo nomine hanc Metropolim aedificavit) visitavit, et argenteriam cum apparatu ad eandem donavit, ad eandem etiam campana uti permisit (quod protunc Lutheranis denegatum fuit). Primus penes hanc capellam, capellanus fuit Ordinis Sancti Benedicti nomine Wolfgangus Heidinger Germanus ex Archidioecesi Salisburgensi, hunc quodam Illustrissimus Episcopus Szembek ad confessiones approbaverat et eidem facultates Apostolicas in illis oris communicaverat, post obi-

tum eius cura et sumptibus ejusdem Illustrissimi Szembek submissus Pater Zierowski Societatis Jesu, una cum litteris passus et recommendationibus ejus ad ministros Moschoviticos munitus. Multam ibi messem invenit non solum verbum DEI praedicando, pro Missionibus excurrendo, sed etiam iuvenes docendo, et scholas instituendo. Petiit ideoque subsidia operariorum qui ab eodem Illustrissimo Episcopo Szembek libenter submissi fuerunt, postquam vero Patres societatis Jesu inde propulsi sunt, usque modo missionarii a Sanctissimis Dominis Nostris illud mittantur. De operibus illorum pro gloria DEI et cura animarum, sicut supra narravi, nullam notitiam habeo, in quo vel Illustrissam Excellentiam V-ram vel Sanctissimum Dnum Nostrum informare possem- hoc scio, quod pro sustentatione sua, tum a Serenissima Imperatoria Majestate, tum a fidelibus ibidem existentibus Elemosynas colligant.

Livonia Polonica.

Livonia Polonica a confinibus Livoniae Sveticae ad fluvium Duna, et ex altera parte fluvii Semigalliae incipit et terminatur usque adconfinia Moschoviae ultra Marienhausum per 40 millaria germanica in longum, in latum vero alicubi per viginti alicubi per decem aut etiam per sex millaria extenditur. Continet in se Episcopatum Livoniae polonicae pure dictum, Ducatum Curlandiae et Semigalliae, Curoniensem et Piltinensem.

Livonia mere Polonica.

Livonia mere Polonica subest immediate Dominio Regni Poloniae, communibusque cum aliis regni Provinciis Legibus gubernatur, universa haec Livonia, iam ex DEI gratia Catholica exceptis paucissimis Lutheranis et Schismaticis. Parochiales ecclesiae aliquae stabilem, aliquae (: de quibus adhuc controversia) quasi stabilem fundationem, eamque tenuem habentes in hoc tractu sunt sequentes:

Prima Dineburgensis, ubi ab Illustrissimo olim Poplawski post vacantiam sedis Episcopalnis per multos annos, Cathedra Livoniae constituta est, squallente et gemente sub tempus tum Svetici tum Moschovitici belli Cathedra Vendensi, Cathedra vero Piltinensis usque adhuc in manibus acatholicorum haeret, hujus Cathedrae canonicos quosdam denominavit modernus Noster Illustrissimus

Loci Ordinarius. Fabrica Duneburgensis ecclesiae lignea reparatio
tione indigens omni tempore. Habuit pro dote villam Aulmusam,
quam Patres Societatis Jesu nescio quo iure praetendebant, idque
recepérunt et hujusque in possesione de qua plura hic inferius.
Fundī autem alii quondam a Rege assignati an dati et in possesione
Parochi sint ignoro. Exiguos habet itaque proventus. Inde agitur
cura animarum ad decem milliaria. Antea contribuebat Illustrissi-
mus Szembek de suis propriis pro sustentatione sacerdotis parochi,
aut ejus vices gerentis. Modo ad eandem ecclesiam cura Illustris-
simi Loci Ordinarii moderni, duo sacerdotes, vel forte jam et tertius
accessit. Praefatam villam Aulmusam Illustrissimus olim Gasewski
Palatinus Smolenscensis emit, et ex voto ecclesiae Dünaburgensi
donavit donationisque hujus approbationem per constitutionem
Regni in Comitiis generalibus Anno Domini millesimo sexcentesimo
trigesimo primo obtinuit, Patres vero Societatis Jesu ac si titulo
alicuius scripti privati, aliquot annis post memoratam constitutionem
Regni ab eodem Illustrissimo Gąsiewski ut fundatore impetrati, tum
etiam praetextu assertionis quasi ipsimet Patres eadem bona pro-
priis pecuniis emissent, ac denique quod ibidem pro saeculari sacer-
dote Parochialia exercuisserint, eadem bona Aulmuisensia sibi
appropriare volebant, sed quoniam privatis rescriptis Regiis, consti-
tutiones Regni in Polonia non tolluntur ideo et privatum scriptum
particularis Personae, sive declaratio quaedam Fundatoris in prae-
judicium tertii videlicet ecclesiae Duneburgensis non potuit ullo
modo tollere aut muttare constitutionem Regni, et omnino seorsiva
constitutio pro Patribus Societatis Jesu in Comitiis Regni procu-
randa fuisset, propriis etiam peccuniis eadem bona Patres Soc. Jesu
se emisse sufficienter evincere non poterant, jam enim prius empta
haec bona et ecclesiae donata clare eadem constitutio asserit; cu-
ram etiam animarum et administrationem Sacraementorum extra-
ordinarie recusarunt, ideo Commisarii Reipublicae, Authoritate Co-
mitiorum Generalium Regni Anno Dni millesimo sexcentesimo
octuagesimo tertio deputati illos omni praetensione ad Villam Aul-
musam abjudicarunt et eandem villam ecclesiae parochiali Dune-
burgensi anno Domini millesimo sexcentesimo octuagesimo 5-to
duodecima Februarii adjudicarunt multas hac ex occasione habuit
molestias Illustrissimus Episcopus Poplawski cum iisdem Patribus
Soc. Jesu Provinciae Lithuaniae, qui spolium sibi illatum (: quod
non erat) excogitaverunt, et in eo fundamento commissionem pro

decidenda hac causa ad episcopum Vilnensem exportarunt, sic itaque fuerunt ut ad Possessionem Aulmusensem iterum pervenerint, tenent itaque in hanc horam haec bona ubi ecclesia parva lignea, ad quam animae fidelium providentur ab uno aut altero aliquando excurrente misionario ex residentia Patrum Soc. Jesu Düneburgensi. De moderno statu causae Aulmusensis Perillustr. Reverendissimus Officialis Livoniensis meliorem informationem dare potest, siquidem et omnia scripta et documenta ibidem reperiuntur.

Secunda ecclesia Lucinensis Praesentationis Regiae postquam circiter ante tredecim annos casu infortunii prima combusta, nova erecta est cura Perillustris, Reverendissimi p. m. Obricki qui fuit et Officialis Livoniensis, et parochus ad eandem ecclesiam, modo regitur a Perillustri Schweter. Haec ecclesia habet fundationem pro uno parocho sufficientem, et quia cura animarum inde peragitur in populo frequentiore per octo milliaria sollicitudine paterna moderni Nostri Illustrissimi Loci Ordinarii sacerdotes ibidem plures submissi sunt.

Tertia ecclesia Rosittensis sufficientem mediocriter fundationem similiter habens, regitur a Perillustri Reverendissimo Officiali Livoniensi Szostakowski qui fundos ecclesiasticos via juris auxit, et quia cura animarum inde peragi debet per duodecim milliaria fovet sacerdotes ni fallor quatuor.

Quarta ecclesia Livenmuisensis fundationem habet pro uno sacerdote valde tenuem cura animarum per decem milliaria inde agitur, fovet sacerdotem capellatum unum, fabrica ecclesiae vetustissima lignea reparatione omni tempore indigens. Quinta ecclesia parochialis Ossusnensis fundationem habens pro uno sacerdote mediocriter sufficientem, ecclesiae fabrica lignea. Cura animarum per quinque milliaria agitur. Coadjutores habet ni fallor duos. Sexta ecclesia Marienhausensis prope ipsos Moschoviae limites sita. Fundatio pro uno sacerdote uteunque sufficiens. Cura animarum per viginti milliaria peragi debet. Vicinissimus huic parocho sacerdos est dissitus quindecim milliaribus germanicis idque ab ea parte qua vix potest esse transitus, nisi sicca admodum aestate vel vigente hyeme, viis alioquin ab frequentes paludes impermeabilibus, ex aliis partibus hujus ecclesiae merum schisma. Fabrica templi lignea, tempore belli a Cosacis, Calmucis et Latronibus saepe spoliatum fuit ita, ut nec filum de apparatibus reliquerint. Domini sive possessores loci

aut capitaneatus illius plerumque dissiti, raro aut nunquam ibi residere solent.

Septima ecclesia Russonensis ibidem lignea in bonis Dominorum Sokolowski fundatio pro sacerdote exqua, cura animarum agitur per quatuor milliaria. Octava ecclesia Feymanensis in bonis Domini capitanei Korff ibidem lignea stramine tecta ante non multos annos haereticis qui ibi nidum fixerant recepta, fundatio tenuis et multis controversiis obnoxia fuit, cura animarum inde agitur per quinque circiter milliaria germanica. Praeter has parochiales ex regalibus fere bonis fundatas ecclesias sunt etiam aliquot aliae in fundis nobilium ecclesiae:

Prima Indricensis Magnifici Domini Capitanei Plater. Fabrica ecclesiae lignea, penes quam sacerdos saecularis fuerat, modo autem Soc. Jesu unus. Cura animarum geritur per quinque milliaria.

Secunda Kraslavienis in bonis ejusdem lignea satis decens penes quam sacerdos alter Societatis Jesu.

Tertia Dagdensis lignea ante paucos annos noviter extucta decenterque ornata in bonis Domini Castellani Hülsen, penes quam primo Missionarius Ordinis S. Dominicci fuerat, postmodum sacerdos Petrinus, modo sacerdotes Soc. Jesu quatuor, et quintus Pater Stanislaus Karwacki Theologus Illustrissimi Episcopi Smolenscensis.

Quarta ecclesia Prelensis lignea in bonis Dnor. Borg ad quam resident Patres Soc: Jesu Missionarii tres.

Quinta ecclesia Aulmusensis quae spectat titulo filialis ad ipsammet ecclesiam Duneburgensem de qua supra ubi de Dunaburgensi ecclesia.

Sexta ecclesia Usvaldensis lignea in bonis Patrum Soc. Jesu ad quam certis Dominicis excurrit Missionarius Ejusdem Societatis.

Septima ecclesia Kownatensis ad quam sacerdos saecularis per modum missionarii residet, sunt et aliae ecclesiae.

Una Dünaburgensis Patrum Soc. Jesu ubi et scholae humaniores pro juvenibus et residentia sive parvum Collegium pro iisdem Patribus Societatis quae omnia horribiliter praesenti anno incinerata sunt. Sunt quoque duo parvi conventus Patrum Dominicanorum unus Possini prope ipsos Moschoviae limites, Alter Wyszkovae sive Jaglonae.

In hac Livonia mere Polonica Polonicae, Lothvanicae et subinde germanicae Linguae cuilibet operario Spirituali scitu necessariae sunt.

De Episcopatu Piltinensi.

Episcopatus Piltinensis quem Lutherani districtum appellare contendunt, mari adiacet ex una parte, ex altera, ducatus Curlandiae et Semigalliae finibus circumdatur, nulla ibi ecclesia Catholica fuit, et nonnisi modo unica ecclesia parochialis Lehnensis est, de qua supra retuli, ubi de bonis Lehnensibus. Pertinet iuxta pacta danica immediate ad corpus Reipublicae Poloniae, ubi aliae Provinciae, quem Dux Curlandiae Ferdinandus Kettler feudo suo Curlandico variis contendebat modis adiungere unde non solum ratione bonorum mensae Episcopalis cum Illustrissimis Episcopis Piltinensibus, sed et nobilitate Piltinensi particulares exortae sunt controversiae, praeter illum processum quem ratione bonorum mensae Episcopalis ab Illo iniuste usurpatorum prosequerantur.

De Ducatu Curlandiae et Semigalliae.

Ducatus isti, quorum longitudo, plus quam quinquaginta, latitudo vero viginti, alicubi autem sex et pauciora millaria continet, vix non totaliter repleti sunt incolis haeresi Lutheranae addictis, paucis respective Catholicis exceptis. Admixti etiam hic sunt Calvinistae, qui contra expressa iura Curlandiae, specialiter Mittaviam in residentiali civitatem Ducalem irrepserunt. In hoc districtu, qui modo immediate subest Regi et Reipublicae Romano-Catholica Religio ex Pactis subiectionis proeminentiam habere deberet. Liberum exercitium Religionis solis Catholicis, et Augustanae Confessionis competit, quod tamen a pluralitate contrariantium Acatholicorum saepe impediri attentatur, tolli autem non potest. Praeter Calvinistas propter potentiam Russicae Maiestatis exercitia Religionis ejusdem tollerantur, quae hucusque privatim modo autem iam publicae fieri solent, cum tamen id iuri et legibus praejudicet. Ecclesiae Romano-Catholicae Parochiales in utroque Ducatu fuerunt tantum quatuor: Mittaviensis, Goldingensis, Allschvangensis, et Laukesana ex quibus priores tres ante triginta circiter annos extremam patiebantur ruinam. Cura et solicitudine p. d. Antecessoris mei Joachimi Gönner Viri Zelozissimi creverunt gloria DEI et Ecclesiae, sunt itaque modo uti sequuntur.

Prima Mittaviensis, Parochialis Ecclesia, in Metropolitana Civitate, ubi ducum Curlandiae Principalis fuit Residentia in Semigallia sita, Juris Patronatus Ducum Curlandiae. Fabrica Ecclesiae murata,

restauratio et reparatio tum ecclesiae pertinet ad Domum Dualem, et fit fere omni anno. Patres Societatis Jesu jam a Sexaginta et pluribus annis ad hanc Ecclesiam in concessso ipsis dimidio fundo Parochiali tanquam Missionarii resident, Sacra menta, imo et ipsam Ecclesiam suis cooperationibus fideliter administrant, ac iuuentutem in scholis suis instruunt, ex quibus iam aliquot egregii viri exeverunt ut pro gloria Dei et Salute animarum in sua Patria operarentur. Non minus et Ego iisdem pro doctrinis mihi ibidem communitatis Grates persolvo. Sunt ibidem exscholis iisdem Nostri Erudiens in iisdem quidam Pietulewicz, modo Dresdo Magister historiarum et linguarum ad aulam Serenissimi Regis Scientiis Serenissimos Principes Ejus specialiter Serenissimum Carolum, ab Antecessore meo ad Alumnatum Brunsbergensem promoti duo Juvenes gemelli Carolus et Christophorus Burzynski. Hoc anno ex Alumnatu Brunsbergensi mihi in Capellanum associavi Rndum Kossevicz Curlandum ex Scholis iisdem illuc recomendatum. In Alumnatu Vilnensi Alumnus unus Ciminkowicz in Societate Jesu duo Patres, idque fratres germani Trynkiewicz, apud Patres piorum Scholarum unus in noviciatu Burzynski alter Źytkiewicz. Habeo et modo Juvenes egregios in meo Servitio ex iisdem Scholis hoc anno iterum recommendandos, qui quia inclinant ad statum Religionis Patrum Scholarum piarum, spero quod pergrate excipient illos.

Patres Societatis Jesu circa Ecclesiam Mittaviensem residentes anterioribus annis tanquam Missionarii ex Piorum oblationibus non exigua paratas Summas collegerunt, ex quibus bona sibi in vicina Lithuania emerunt pro honesta sustentatione. Numerus Patrum Septem, ex quibus Magister Scholarum unus et alter Confrater. Sunt et alii Patres pertinentes ad hanc Residentiam, nimirum Missionarii Rigenses duo.

In praedio Eorundem Lauxodiis iam in Lithuania Patres duo et unus Confrater. Ad hanc Ecclesiam Ego Immerito Constitutus sum Rector, ad praesentationem S. R. Majestatis et Excellentissimorum Supremorum Consiliariorum Regentium Curlandiam. Postquam ultra triginta annos p. d. Oficialis Gönner laudabiliter hanc Ecclesiam rexerit. Patria Civitas mea Mittavia, scholas frequentavi ibidem, postmodum Brunsberga, ubi quinque annis ex benignitate Sanctissimi Nostri tempore Studiorum in Alumnatu victum et amictum habui, Capellanum egi apud Eundem p. d. Officialem Gönner Septem annis, ubi in patriis legibus juribus instrui merui.

Cura animarum Circa Mittaviam ad plurima Millaria extenditur quam allibi. Capellanus foveo modo duos quibus auxiliantibus una cum patribus Societatis Jesu, tamen nec omnibus Fidelibus Sacra exigentibus sufficere possumus. Contingit itaque ut tamen inveniantur aliqui Catholici intra tria quinque aut sex annos vix semel confitentur. Fundatio Parochialis facta est a Duce Curlandiae Gloriosae Memoriae Jacobo sub tempus investiturae suae mediocriter sufficiens.

Secunda Ecclesia Parochialis Goldingensis in Curlandiae Iuris Patronatus Ejusdem Domus Ducalis, per omnia fere similis foundationi Ecclesiae Mittaviensis. Fabrica Ecclesiae noviter extracta murata. Ipsa Ecclesia laudabiliter regitur iam circiter triginta annis a Perillustri Officiali Curlandiensi Ignatio Langhanning, Alumno Brunsbergensi Capelanum unum fovet Reverendum Michaelem Folckmann, Alumnum Brunsbergensem. Numerus Fidelium on adeo ibi Copiosus. Cura animarum inde tamen agitur per sex octo aut ultra milliaria, ob Catholicos hinc inde dispersos. Distat haec Ecclesia a Mittaviensi quindecim milliaribus germanicis.

Tertia Ecclesia Parochialis Allschvangensis Collationis Episcopalis itidem murata, sed ob vetustatem fuerunt muri scissi ut prope a fundamentis restaurari debuerit. Contribuerunt pro sustentatione hujus Ecclesiae Parochi et restaurationibus per centum aureos. Hungaricales Illustrissimi Nuncii Antecedanei Excellentiae Vestrae. Item Illustrissimus Episcopus Szembek multum contribuit, unde modo notabiliter restaurata conspicitur Haeres bonorum fuit Catholicus insignis Nobilis Comes dictus Szweryn, sed in turbido bellico ad tantam paupertatem redactus, ut neque sibi neque Ecclesiae Consulere potuerit, bonis omnibus iure hypothecae in manus haereticorum devolutis, quo Ejusque Haeredibus succedaneis mortuis bona pretio exponebantur, fuit autem nemo Catholicorum Dominorum, qui eadem emere voluit. Ita contigit, ut ad manus Haereticorum haec bona pervenirint.

Celsissimus Dux Curlandiae Biron eandem bona exolutione facta suae Jurisdictioni subiecerat, post infelicem vero Ejus casum bona Allschvangensia inter sequestrata Russicae Majestatis bona annumerantur.

Cum plerumque in hoc ducatu Subditi Dominorum Suorum Haereditariorum, sive fidem sive haeresim sequi soleant, subditi tamen fere ut plurimi sunt Catholici, propter ablongationem Eccle-

siae Lutheranae. Parochia haec habuit antea ultra viginti millia Catholicorum, et licet modo etiam diebus festivis magnus concursus populi sit, multam dubito tamen ut tot inveniantur quot fuerunt. O utinam Aliquis Catholicorum Dominorum haec bona emisset, multum enim lucratus fuisset et sibi et gloriae DEI, fructificant enim Possessores moderni sub titulo Arendatorio ex bonis istis plus quam sex pro centum, Hujus Ecclesiae Rector est Perillustris Canonicus Piltinensis Michael Langhannig, quondam Alumnus Pont. Vilne: qui ultra viginti annos laudabiliter rexit Ecclesiam istam cum magno animarum zelo. Capellatum foveat unum ex fundatione ut cunque sufficienti pro utrisque. Animarum Cura illinc agitur etiam per Episcopatus Piltinensis fundos ad quindecim et plura millaria. Habet etiam haec Ecclesia Filiale ligneam parvam tribus milliaribus dissipatam ad litus maris balthici sitam in iisdem bonis Allschwangensis Felixbergam dictam, in qua qualibet tertia septimana a Parocho, vel Ejus Capellano devotio peragitur, distat haec Ecclesia Allschwangensis a Mittaviensi octodecim milliaribus germanicis.

Quarta Ecclesia Parochialis Libaviensis in Curlandia de nova radice actu aedificatur ad proportionem fundationis Ecclesiae Mittaviensis et Goldingensis. Circa hanc Ecclesiam notandum: Quod Celsissimus Dux Biron n Commisione Curlandica Gedani *ultimatae* habita spoonderit circa investituram feudi sui hanc Ecclesiam intra spatium decem annorum totaliter finiendam et Catholicis tradendam jam itaque pridem decem anni exspirarunt, et licet Domini Supremi Consiliatii Regentes Ducatus Curlandiae et Semigalliae, iam per unum rescriptum Regium sufficienter admoniti sint, ut sub animadversione indignationis Regiae properarent satisfacere sponsioni Ducali, tamen hucusque post quatuordecim circiter exspiratos annos, neque Structura templi adhuc ad perfectionem deducta est, multo minus habitatio pro parocho et aliis Ministris Ecclesiae. Supplicatur itaque ut per rescriptum Regium iterato severius admoneantur Domini Supremi Consiliarii; Interest enim ne decadat haec fundatio Gloriae DEI subsecutura aliqua permutatione, quod timetur.

Adiacet mari ipsa Civitas et est portorum. Interea devotio persolvitur in Domuncula in hunc finem coempta. Concursus Populi ibidem non rarus et esset major si commoditas foret providendi ipsum Sacris. Interea omni tertia Septimana Sacerdos illuc venit pro persolvenda Devotione. Quinta Ecclesia Parochialis Altenburgensis et ejus Filia Illmajensis. Circa has Ecclesias notandum, quod

p. d. Officialis Gönner pro manu tenendis Ecclesiis ista prope ad viginti annos cum Possessoribus bonorum Altenburg et Illmagen iure egerit. Fuerunt hae Ecclesiae ab Haereditorio Domino Altenburg- et Illmagensi Othono Rappe converso Catholico Nobili Curlando Catholicis tradita, ex lege et Iure Curlandico (: ut quis si Nobilis Curlanicus faetus fuerit Catholicus, licet ipsi et Ecclesiam in bonis suis haereditariis sitam Catholicis reddere aut in Catholicam convertere quod secus ex lege non habetur. Eodem Othono Rappe Haereditario Possessore bonorum Altenburg et Illmagen mortuo, bona ad manus Acatholicorum pervenerunt ob plurima derelicta post mortem Ejus debita. Bona Illmagensia haereditarie cesserunt Domino Colonello Korff, qui creditoribus exolutis eadem bona multis annis possedit Bonorum Altenburgensium a Regimine Curlandico constitutus fuit Curator Generosus Nicolaus Christophorus Rappe, frater p. d. Othonis Ernesti Rappe, qui in hanc horam Possessor adhuc est. Conjunctionis itaque viribus, uterque Generosus Korff et Generosus Rappe has Ecclesias receperunt. Ex Sententia autem Judiciaria Curlandica non sine magnis sumptibus restitutio fieri debuit, quae et facta est. Ratione Provisionis Parocho competentis similiter litigabatur, donec per Senteniam Regiam et hoc pro praeteritis annis non exsolutis et in futurum exolvendis decisum est. Ratione Ecclesiarum referendum restat quod Possessores moderni bonorum Altenburgensium Nicolaus Christophorus Rappe, et Illmagensium Henricus Heiking conentur iure evincere quasi hae Ecclesiae non fuissent haereditariae bonorum Altenburgensium et Illmagensium, sed filiales ab altera Acatholica Durbensi, verum pro defensione nostra ex Jure Curlandico valet illud: Spoliatus *ante omnia restituatur* et si quis spolium Committit aut rem suam propriam aut etiam alienam violenter sine iuris strepitu aut Iudicis sententia recipit, et Jus ad rem et Ipsam rem per hoc amittit. Parochus modernus Altenburgensis et Illmagensis sub tempus Iuris strepitus vixit ex Eleemosynis tum a p. d. Officiali Gönner tum ab aliis sibi collatis, et nonnisi incipiendo a praeterito anno festo S: Joannis Bap. annum sibi competens Solarium recipit: quod pro sustentatione adeo tenue est. Idem Parochus excurrit administrando Sacra omni secunda ad Ecclesiam filialem Illmagensem; Item Libaviam omni tertio et Hasenpotum ubi domunculam tantum Catholicci habent omni 4ta Dnica in festo. Fabrica Ecclesiae Altenburgensis murata turris cupro tecta, tempellum parvum sed tam ad intra quam extra pulchre

ornatum. Fabrica Ecclesiae Illmagensis lignea, totaliter ruinata, et desunt modi restaurationis aut novae Ecclesiae aedificandae.

Sexta Ecclesia Parochialis Lehnensis in districtu Piltinensi de qua supra.

Praeter has Ecclesiae Parochiales fundatas sunt etiam Ecclesiae Prima Beersensis ad aulam Excellentissimi Domini Intimi Consiliari Russicae Majestatis de Liven. Fabrica Ecclesiae lignea pulchre ad intra exornata distat ab aula Beersensi medio milliari. In aula Sacellum ligneum, pulchre ornatum. Ante annos circiter quindecim Idem Excellentissimus de Liven fundationem pro parocho assignare voluit, quam etiam conscripserat, sed hucusque nil egit. Capellanos aulicos semper foyet Petrinos duos. Modo unum Petrinum iam Semiculum a plurimis anni Rndum Andream Klein Alumnum etc. et alterum Societatis Jesu habet. Supplicatur Sumississime, an non admonitione paterna Illustrissimae Excellentiae Vestrae persvaderi potest ad perficiendum opus pro gloria DEI, agitur enim de hoc, ut si casu quo Excellentissimus de Liven morte preeveniretur, ne Filii, (quod Deus avertata) perversi multa millia ibi lucratas animas aeternum deperdant.

Secunda Ecclesia in Semigallia Lamingensis de novo erigitur ab eodem Excellentissimo de Liven in bonis suis haereditariis Lamingen dictis.

Tertia Ecclesia Ellerensis in Semigallia in bonis Excellentissimi Dni Generalis de Liven, Ecclesia murata pulchre, sacerdotem foyet per modum Parochi Rndum Simonem Arewicz Alumnum Pontificium Brunsbergensem. Haec Ecclesia fuit Lutherana ad quam fundationem suam habuit Praedicantius Acatholicus, qui post conversionem Dni Generalis de Vitten repulsus est. Cura animarum a plurimis milliaribus ibi peragitur. Haec Ecclesia non procul sita est a Mittaviensi triginta circiter a Mittaviensi milliaribus distans. Posset et isto Excellentissimus generalis fundationem pro Parocho facere dummodo vellet, sed malo exemplo aliorum ducitur.

Quarta Ecclesia in Semigallia prope Duneburgum, a Mittaviensi circiter triginta milliaribus distans, Laukesana, fundationis quondam Illustrissimi Episcopi Wolff, fundatio Parochi promisso fuit a Collatoribus. Cura animarum per aliquot millaria circa limites Lithuaniae illinc agitur.

Frequentior ibi populus Catholicus. Modo providetur Sacerdote Soc. Jesu excurrente Duneburgo.

Praeter has Ecclesias habent etiam PP. Soc. Jesu residentias duas cum Cura animarum Parochiali in Semigallia, et Ecclesias prope ipsos Lithuaniae Limites Sitas, videlicet Illuxtae et Schoenbergae. Ultra has residentias tres adhuc alias iidem PP. Soc. Jesu Missiones in Semigallia agunt, videlicet Oselmuiži, Subotii et Bausci prope limites Lithuaniae. Sunt quoque praeterea in Semigallia tempa lignea Graeci ritus unitorum, unum Illuxtae, ubi duo Basiliani resident, alterum Kreitzburgi, seu potius in oppido Jakostat^{*} dicto, ubi similiter duo Patres Basiliani ex minima Eleemosyna vivunt. In eodem Oppido est etiam tempellum Schismaticum, quod a Schismaticis bene provisum est, ubi operari possent pro gloria DEI Basiliani qui fuerunt Alumni Pontificii.

Harum Omnium memoratarum Ecclesiarum Curatoribus Germanicae, Polonicae, Sclavonicae sive Illyricae Lithuanicae, et Lothvanicae liguarum peritia Summe necessaria est, unde cum maxima difficultate Sacerdotes pro his locis, eorundem Sermonum capaces adinveniri possunt.

His itaque fideliter in Compendio relatis subjicio omnia et me Ipsum cum profundissima Devotione ad omnia mandata paratissimum et si populo sum necessarius non recuso laborem, atque supplico ut Illma Excellia Vra¹⁰. premissa benigne respicere velit, Beatissimumque Patrem Nostrum eo inclinet, ut sua Sanctitas Singulariter respicere velit has quasi extremas orbis partes, ubi in exigentiis causarum Catholicarum nobis hic degentibus recurrere contigerit Clementissime manu teneri et adjuvari mereamur, specialiter Ego hoc dum spero cum profundissimo venerationis Cultu me Scribo.

Illmae Excelliae ac Rndmae Dominationis Vrae
Infimum et Obsequiosissimu Servitorem

E. L. J. L.¹¹

* Legendum est Jacobstat.

¹⁰ „Illma Excellia Vra“ — significat: „Illustrissima Excellentia Vestra“ et dirigitur hic titulus ad nuntium apostolicum in Polonia A. Archinto.

¹¹ Literae: „E. L. J. L.“ sunt initiales auctoris huius relationis et significant: „Fricus Ludovicus J. Lesveur“ — qui tunc temporis fuit offocialis episcopi Puzyne in Mitavia.

Divas bīskapu (Chr. Šembeka 1715. g. un J. D. Puzinas 1749. g.) relacijas Sv. Krēslam par Livonijas un Piltenes baznīcas stāvokli.

Prof. *J. Rancans*,

Markopoles titularbīskaps.

IV.

Katoļu teoloģijas fakultates uzdevums ir sagatavot katoļu tautai garīdzniekus ar augstāku izglītību un kalpot zinātnei. Zinātniskiem pētījumiem būs veltīti apcerējumi, kādus fakultates mācības spēki ievietos Latvijas Universitates Rakstos vai arī atsevišķos izdevumos. Šādu mērķi sasniegt vēlas arī šis mazais pētījums un divu vēsturisku dokumentu iespiedums.

Jelgavas katoļu baznīcas archivā ir uzglabājušies divi vērtīgi ziņojumi par Katoļu baznīcas stāvokli Latvijā XVIII gadu simta pirmajā pusē, t. i. 1715. g. un 1749. g. Pirmais pieder Livonijas un Piltenes bīskapam Kristapam Šembekam un otrs ir rakstīts bīskapa Jāzepa Dominika Puzinas laikā un uzdevumā.

Bīskapa K. Šembeka ziņojuma rokraksts aptver 28 liela forma lapaspuses. Papīrs aiz gadu ilguma jau nodzeltējis un uzrāda visas veclaiku (XVIII g. s.) papīra pazīmes. Ziņojums domāts tieši pāvestam Klementam XI, un bīskaps sniedz sīkas ziņas par diecezes stāvokli savā vārdā un, nevarēdams personīgi ierasties Romā, par savu sūtni ir izvēlējies priesteri Jāni Vincenti.

Līdzīgu ziņojumu divi gadi agrāk 1713. g. jau bija iesniedzis kanoniks J. Ganners (Gönnner), Livonijas bīskapa ģeneralvikars un Jelgavas katoļu draudzes prāvests, apustuliskajam nuncijam Polijā, kardinalam Odeskalki (Odescalchi). Šī ziņojuma noraksts atrodas Osolinsku tautas institutā Lvovā un ir daudz īsāks par bīskapa K. Šembeka ziņojumu, lai gan saturā ziņā ir stipri līdzīgs.

Bīskapa K. Šembeka ziņojums vispirms dod vēsturisku pārskatu par katoļu baznīcas stāvokli Livonijā vidus mūžos, — tad

sīkāk pakavējas pie Piltenes episkopata vēstures XVI un XVII gadu simtā un aprāda tā sabrukumu reizē ar episkopata nekustamū īpašumu pāriešanu dažādu laicīgu personu rokās, un par tiesāšanos ar nelikumīgiem piesavinātājiem, lai atgūtu baznīcas īpašumus senajā Piltenes jeb Kurzemes bīskapijā. Seko ziņas par bīskapijas platību un sīkākas ziņas par atsevišķām baznīcām Kurzemē, Zemgalē un Latgalē. Kurzemē un Zemgalē aprakstītas šādas baznīcas: Jelgavā, Kuldīgā, Alšvangā ar Jūrkalni (Feliksbergu), Laucesā, Ilūkstē, Skaistkalnē (Šenbergā), Subatē, Bauskā un divas uniatu baznīcas — viena Ilūkstē un otra Jēkabpilī. Latgalē tuvāk apskatītas šādas baznīcas: Daugavpilī — katedrale, Ludzā, Rēzeknē, Līvānos, Asūnē, Viļakā, Indricā, Krāslavā, Dagdā, Feimaņos, Rušonos, Preiļos, Aulejā, Izvaltā, Kaunatā, Daugavpili Jezus Sadraudzības baznīca un dominikāju baznīcas Pasienē un Aglonā.

Otru ziņojumu ir sastādījis 1749. gadā Livonijas bīskapa ģeneralvikars kanoniks Eriks Ludvigs Lesvērs (Lesveur), Jelgavas baznīcas prāvests, un iesniedzis to apustuliskajam nuncijam Polijā mons. Alberikam Arkintam (Archinto).

Rokraksts ir vecs, uzrāda labojumus un arī rakstības veids nav viengabalains. Spriežot pēc vecām metriku grāmatām, tas pieder kanonika E. L. Lesvēra rokai, — un to norāda ziņojuma saturs un beigu paraksts ar inicialburtiem: „E. L. J. L.“ Tas var zīmēties tikai uz Erīku Ludvigu J. Lesvēru, kas tanī laikā — 1749. g. ir bijis par Jelgavas R.-katoļu draudzes prāvestu.

Šis ziņojums bez šaubām ir sastādīts Livonijas un Piltenes bīskapa J. D. Puzinas uzdevumā un iesniegts pāvesta nuncijam.

Ziņojuma saturs loti līdzīgs (pat vārdiski) bīskapa K. Šembeka iesniegumam, sevišķi vēsturiskajā daļā, — bet ir nākušas klāt arī jaunas lietas, sevišķi par tiesas procesiem ar Piltenes bīskapu nekustamās mantas sagrābējiem un piesavinātājiem. Tāpat sniegtas plašākas ziņas un par vairākām jaunām baznīcām Kurzemē un Zemgalē, kas nākušas klāt laikā no 1715.—1749. gadam. Starp tām ir minētas: Alšvanga, Jūrkalne, Kuldīga, Jelgava, Laucesa, Lēnas, Liepāja, Vecpils ar filialbaznīcām Ilmajā un Aizputē, Bērze (Līvbērze), Lamiņi, Elkšņi, Ilūkste, Skaistkalne, Subate, Bauska un Ozolmuiža. Bez tam vēl ir minētas divas austrumu ritus (uniatu) baznīcas Ilūkstē un Jēkabpilī. Par Latgales baznīcām rakstot, minētas tās pašas, kas iepriekšējā ziņojumā. Noslēguma saturs rāda, ka

autors griežas tieši pie apustuliskā nuncija Polijā un lūdz viņa aizbildnību pāvesta priekšā Livonijas un Piltenes diecezei par labu.

Par šiem ziņojumiem minēts Gustava Manteufela rakstos („Terra Mariana“), bet līdz šim tie nekur nav iespiesti un nav arī uzieti Vatikana archivos.

Piltenes episkopatam ir piederējuši plaši nekustami īpašumi. Šos īpašumus sīkāk raksturotos atrodam kādā 1700. g. 15. decembra dokumentā, kur ir minēti šādi Piltenes episkopata novadi un īpašumi:

1. Sakas novadā	29	arkli,
2. Aizputes novadā	135 $\frac{1}{2}$	„
3. Valtaiku novadā	142 $\frac{1}{2}$	„
4. Piltenes novadā	90	„
5. Piltenes pils novadā	20	„
6. Ēdoles novadā	25	„
7. Dundagas novadā	35	„
8. Ārlavas novadā	77 $\frac{1}{2}$	„
9. Embotes novadā	217 $\frac{1}{2}$	„

Kā redzams, īpašumi ir bijuši labi prāvi, jo Polijas arkla platība tanī laikā varēja līdzināties 180 pūrvietām. Beigās jāsaka, ka Kurzemes bīskapu centieni atgūt minētos īpašumus tiesas ceļā nebija sekmīgi. Biežie kari un Polijas politiskie apstāklī XVIII g. s. pirmajā pusē traucēja Kurzemes bīskapu labos nodomus un viņu pūles palika bez sekmēm. Šis apstāklis bija paskubinājis agrāko Livonijas bīskapu Kristapu Šembeku pirkšanas un dāvinājuma celā nodrošināt Kurzemes bīskapiem uz mūžīgiem laikiem Lēnu, Līces un Mugurkaula muižas 1734. gadā.

I. Izlietātie avoti.

- 1) Jelgavas R.-Katoļu baznīcas archīvs:
 - a) ziņojumi Sv. Krēslam,
 - b) vizitacijas aktis,
 - c) metriku grāmatas.
- 2) Valsts archīvs: a) Noraksti no Osolinsku tautas instituta Lvovā: „Ossolineum“.

II. Literatura:

- 1) Terra Mariana 1186—1888. Reproduktionen des von den R.-Katholiken hiesiger Provinzen Sr. Heiligkeit Leo XIII zum Jubiläum 1888 dargebrachten Albums. Riga, 1903. Verlag Al. Grosset, in firma: F. Deutsch.
- 2) Auseklis. 1924. Latviešu katoļu mēnešraksts.
- 3) Urkunden und Nachrichten zu einer Familiengeschichte Fürsten Lieven. Mitau, I. t. 1910. I. F. Steffenhagen, Mitau, II. t. 1911. I. F. Steffenhagen.
- 4) E. Vinkelman. Bibliotheca Livoniae Historica.

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARIES



0509079462

I. Istoriskās avoti.

- 1) Jelgavas R.-Katoļu baznīcas archīvs:
a) kipojumi Sv. Krištofam,
b) vizitacijas akts,
c) metriku grāmatas.
- 2) Valsts archīvs; a) Noraksti no Ossolinsku tirdzības institūta Ryovā; „Ossolineum”.

II. Literatūra:

- 1) Terra Mariana 1186—1886.
Reproduktionen des von den R.-Katholiken hierziger Provinzen Sr. Helligkeit
Lett. XIII zum Jubiläum 1886 dargebrachten Albums. Riga, 1883, Verlag Al.
Grosser, in firma F. Deutsch.
- 2) Auseklis, 1924. Latviesu katoļu mēnešraksts.
- 3) Urkunden und Nachrichten zu einer Familiengeschichte . . . Fürsten Lieven.
Mitau, I. t. 1910. I. F. Steffenhagen, Mitau; II. t. 1911, I. F. Steffenhagen.
- 4) E. Vinkelman. Bibliotheca Livoniae Historica.

LATVIJAS UNIVERSITĀTES BIBLIOTĒKA



0509079462



24P381

0-90

P
Mtg

LUR kat. teol. I.

- Nr. 1. J. Rancans. Duae relationes episcoporum Chr.
Szembek (1715 a.) et J. D. Puzynae (1749 a.) ad
Sanctam Sedem de statu ecclesiae Livoniensis
et Piitnensis factae 1
Divas biskapu (Chr. Šembeka 1715. g. un J. D.
Puzinas 1749. g.) relacijas Sv. Krēslam par Livo-
nijas un Piltenes baznīcas stāvokli 48c

AUL theol. cath. I.